25

Q. D. B. V.

# AMOREM SUI IPSIUS, VELUT EXEMPLAR AMORIS PROXIMI,

*ex Matth. XXII. 39.*

PRÆSIDE

*Summe Reverendo atq; Magnifico,*

## DN. CASP. LOESCHERO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. longe Celeberrimo, Consist. Ecclesiast. Assessore Gravissimo, Ecclesiæ Wittenb. Pastore, & Circuli Elector. Saxon. Superintendente Generali Vigilantissimo,

*Domino, Patrono, Præceptore, eodemqve Hospite suo, omni observantia ætatem devenerando,*

In Cathedra B. Lutheri

P. P.

## M. DANIEL Schreiter/

Wurcensis Miln.

*Ad d. XVIII. Jul. MDCXCIII.*

---

*WITTEMBERGAE,*

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ. Anno 1704.

# LA DANIELE

# Procœmium.

TEmerario prorsus ausu Pontificios, Socinianos, Arminianos, Anabaptistas, eorumq; Asseclas tum ore, tum scriptis asserere, qvod Christus in diebus carnis suæ novum egerit Legislatorem, Legi Mosaicæ novas qvasdam Leges, novaq; Consilia Evangelica adjiciendo, extra dubitationis aleam est positum. Atque ut ejusmodi furfuris homines tam projectæ suæ opinioni colorem speciosum inducant, provocare cumprimis amant ad dictum Joh. XIII 34. ubi dilectissimus Servator noster in cantione suacygnea præceptum de Amore mutuo sub novi præcepti titulo Discipulis commendavit. Ast enimvero ut taciti prætereamus, qvæ à Feurbornio, Calovio, Scherzero, aliisq; Ecclesiæ nostræ splendidissimis Luminibus hac in controversia fusissime sunt proposita, vel lippis etiam atqve cœcis, quod dicitur, apparet, mandatum Amoris secundum substantiam non novum, sed vetustissimum esse. Nulla etenim ratione Amor, qvem Moses in V. T. ursit, ab eo Amore discrepat, qvem Christus in N. T. à genuinis suis Discipulis exigit, sed unus idemq; est, adeo ut Christus, legem Amoris, qvam Moses antea tulerat, a Phariseorum fermento repurgans, & pristino nitori restituens, ejusdem saltem Renovator extiterit. Interim non errabimus forsan, dicentes, certo qvodam respectu præceptum hoc novum posse dici, si nimirum consideremus

*menſuram & exemplar Amoris, eo qvod Chriſtus in ſermone ſuo valedictorio Se ipſum proponat Amoris mutui exemplar, in aliis vero locis, v. g. Matth. XXII. 39. ubi legem Moſaicam repetiit, unumqvemqve hominem rite* ἑαυτόφιλον *exemplar Amoris, proximo exhibendi, conſtituat, dicens: Amabis proximum tuum ſicut te ipſum. Qvod qvidem Effatum qvoniam utilitatis atqve amœnitatis eſt refertiſſimum, libet jam nobis, nativum atqve domeſticum ejusdem ſenſum in peculiari Diſſertatione pro virium mediocritate indagare, ita ut illam in tria Capita, qvorum primum Textus* συνάφειαν, *alterum* Ἑαυτοφιλίαν, *& ultimum* Πλησιοφιλίαν *examinet atqve perpendat, diſſeſcamus. Faxit DEus, ut feliciter nobis ſuccedant omnia!*

## T. A.

## Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

## CAP. I.

## De Textus συναφείᾳ.

### §. I.

NEmo nobis, uti ſpes eſt, vitio dabit, ſi bonæ methodi legibus morem gerentes, ad pleniorem Dicti noſtri cognitionem acqvirendam, de occaſione, qva id fuerit prolatum, nec non de cohærentia ejusdem cum antecedentibus pauca præmittamus. Poſteaqvam enim Chriſtus argumentis ſolidiſſimis Sadducæos, myſterium Reſurrectionis mortuorum impugnantes, erroris craſſiſſimi convicerat, & qvaſi capiſtris injectis illorum ora occluſerat, ſubornatus qvidam, ceu

ceu conjectura non improbabilis fert, à Collegis suis Vir Νομικὸς interrogandi, & ad instar diaboli tentandi animo Ipsum adiit, qvæstionem de primo seu primario præcepto in medium proferens. Elegerat hic vaferrimus *Qvæstionarius* materiam ex suo foro, suaqve Professione, victoriam in propria & nota arena eo libentius sibi promittens, qvo pluribus difficultatibus illud problema videbatur involutum. Divisa tunc temporis communiter erant Præcepta Dei in affirmativa seu jubentia, & negativa seu prohibentia, qvorum priora numerabantur 248. tot nimirum, qvot qvidem membra corporis humani Judaica Anatomia constituerat, ita ut unumqvodqve membrum hominem posset commonere, *Fac hæc:* posteriora vero complectebantur 365. & adæqvabant dierum anni solaris numerum, ita ut occasio daretur homini mandatorum Divinorum singulis diebus recordandi; qvemadmodum *Talmud. in Maccoth, f. 23.* illud exponit, qvin imo, ut *R. Bechai in Kad. hakkemach f.2.* adstruit, hæc 613. præcepta & interdicta prosti rpibus atqve radicibus habebantur, è qvibus multa millia mandatorum enascerentur. Qva de re plura apud *Buxtorf. in Synagoga c. 3. f. 39. & de Abbreviaturis p. 187. 204.* nec non, & qvidem præcipue, apud *Leusden. in Philol. Ebræo p. 358. seq.* Horum itaqve præceptorum omnium accurata & distincta notitia debebat esse instructus is, qvi in continenti & absqve interposita mora defendere vellet, qvod nam ex illis primas teneret, præsertim qvum alii ex Pharisæis præceptum de Sabbato, alii præceptum de Circumsione, alii præceptum de jejunio, decimis, eleemosynis, alii præceptum de sacrificiis & holocaustis, alii alia aliis anteferenda putarent. Ast enimvero Christus Νομικώτατος, & in qvo absconditi erant omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ, nodum hunc, in speciem Herculeum, minimo negotio solvit, & utramqve Legis Tabulam ad unicum amoris præceptum nervosissime retulit, dicens: *Amabis Deum Dominum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; & proximum tuum sicut te ipsum.* Miratur orbis profanus Iliadem nuce, corporum cœlestium motus sphæra Archimedea, novensiles Musas gemma Pyrrhi qvasi

compendio constrictas, miretur magis fidelium cœtus, Christum, qvicqvid de ratione pie & juste vivendi in Lege & Prophetis continetur, unico Amoris vocabulo inclusisse. *Est enim* Amor omnium Virtutum longe præstantissima, cum omnes Virtutes in Amore, tanqvam in Centro suo, colligentur, nec ulla earum absqve Amore qveat consistere. 1. Cor. XVI. 14. 1. Tim. I. 5. Eousqve Amor radix est omnium Virtutum, & Regina actuum humanorum, ut ex peccato non peccatum facere, vel peccati atrocitatem elevare possit, qvoniam in omni præcepto atqve interdicto subintelligenda conditio: *Salvo Amore.* Vid. *Joh. Conr. Danh. Deuteron p. 567.* Tametsi vero ratione sui unicus tantum est Amor; dirimitur tamen h. l. à Christo respectu Objectorum in Amorem tum *Divinum*, qvo Deum, tum *Humanum*, qvo nosmet ipsos, atqve proximum nostrum complecti debemus, ita qvidem, ut hic illi non opponatur, aut præferatur, sed rite subordinetur.

§. II.

Præponitur itaqve Amor in Deum Dominum nostrum, qvi amandus *ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente.* Non solum omisit D. Matthæus ab Evang. Marco c. XII. v. 24. additum dictum Deut. VI. 5. *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est*: sed etiam loco מאד, & τῆς ἰσχύος substituit τὴν διάνοιαν, ad exemplum ipsius Christi, qvi, ex Legis penetralibus Legis petitis responsurus, neutiqvam ad verba & syllabas se adstrinxit. Unde patescit, non statim mutilari, vel mutari Legem, licet in ejusdem recitatione verba qvædam vel omittantur, vel varientur modo sensus Legis integer permaneat. Id qvod obiter Calviniani, cumprimis Hassiaci & Anhaltini, observent, sacrilegii reum temere censentes illum, qvi non iisdem literis, syllabis atqve vocibus totum ex Mose Decalogum recitet. Dicitur autem hoc præceptum de Amore Dei primum & magnum, hoc est, (qvia positivus ex idiotismo Ebræo nonnunqvam ponitur pro superlativo, vid. *Flac. Cl. Script. P. II. p. 140.*) primarium atqve maximum, non modo ratione finis, qvia omnia reliqva præcepta ad illud referuntur, neqve tantum ratione ordinis

ordinis, qvia ex Amore Dei Amor proximi oritur, sed etiam ut cum maxime ratione Objecti, qvia immediate dirigitur in eum, qvi *Deus ac Dominus noster est.* Qvæ sane verba fugitivo oculo non sunt transmittenda, sed attente considerandа, suisqve momentis ponderanda, propterea qvod in ipsis causæ Amoris in Deum lateant jucundissimæ. Scilicet amandus Deus est, partim ob *diligibilem suam Naturam & Essentialem Bonitatem*, qvum nemo independenter & absolute bonus sit, nisi unus atq; unicus *Deus:* Matth. XIX, 17. partim ob *immensa merita*, qvum *Dominii jure* gaudeat ob Creationem, Sustentationem, Redemtionem, Sanctificationem, & alia numero innumera beneficia, qvibus sibi nos devinctissimos rddidit; qvemadmodum beneficiarii Benefactoribus suis tot sunt obstricti vinculis, qvot qvidem beneficia ab illis acceperunt: Confer. Gen. I. 1. Mal. I. 6. Rom. X. 12. partim *ob retributionem*, qvum Deus *Se ipsum* diligentibus Se præmium constituat; sicuti non solum Abrahamo dixit: *Ego sum Clypeus tuus & merces tua magna*: Gen. XV. 1. sed etiam aliis fidelibus illud ipsum promisit, adeo ut vel in unico decimo nono capite Levitici minimum decies isthæc clausula iteretur: *Ego Dominus Deus tuus.* Ob has igitur potissimum rationes qvomodo Deus non amandus esset *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*? Ubi qvidem nonnulli triplex ὅλον attendunt, videlicet τὸ ὅλον Subjecti amantis, τὸ ὅλον Objecti amati, & τὸ ὅλον actuum Amoris. *Gerund. in Pentat. p. 294.* Alii Interpretes *August.* expositionem amplectuntur, *L. de diligendo Deo* ita scribentis: *Diliges Deum ex toto corde, id est, ex toto intellectu tuo, ex tota anima, id est, ex tota voluntate tua, ex tota mente, id est, ex tota memoria tua, ut omnes cogitationes tuas, omnemq; vitam tuam, & omnem intellectum tuum in Deum conferas.* Alii alia ratione rem explicant. Ast enimvero simplicius & rectius hæc tria vocabula secundum phrasin Ebræam accipi possunt, ut unum idemqve significent, & tantum ad majorem energiam, & uberiorem declarationem hæc trina repetitio instituatur, q. d. *Amabis Deum ex tota mente & voluntate, omnibusq; tam interioribus, qvam exterioribus viribus, in prima creatione homini benignè concessis.*

Vid.

Vid. *Origines tract. 23. in Matth. & Meelführ. dec. 6. Vind. Evang. diſp. 3. theſ. 5. ſeq.* Cujus rei & ſenſus genuini ſignum eſt, qvod Scriptura Sacra qvandoqve tria membra ponat, ut h. l. & Deut. VI. 5. qvandoqve duo, ut Deut. X. 12. XI. 13. qvandoqve etiam qvartum addat, ut Marc. XII. 30. Luc. X. 27. Hinc admodum pulchre *Radulphus Ardens*: *Qvid vult ſibi, fratres, tanta inculcatio verborum? Nonne, ſi dixiſſet, diliges cordicitus, ſatis fuiſſet? ad majorem, fratres, emphaſin dictum, & ſi expreſſiùs poſſet, expreſſiùs dixiſſet, qvia id nunqvam ſatis dicitur, qvod nunqvam ſatis agitur.* Conf. *Corn. à Lap. Comment. in Deut. VI 5. p. 950.* In omni etenim Virtute datur alias exceſſus & nimium; ſummum jus qvandoqve ſit ſumma injuria, nimia liberalitas in prodigalitatem degenerat, nimia parſimonia ſorditudo eſt, atqve ſic porro: aſt in Amore Dei nimirum non datur, qvia teſte *Bernhardo l. c. Verus modus diligendi Deum ſine modo eſt.* Hanc exactiſſimam Dilectionem qvantopere Photiniani atqve Pontificii conentur extenuare, videre licet apud eosdem ex aſſe refutantes *Balth. Meiſnernm in Theol. Photin. p. 370. & Ames. T. II. Bellarm. Enerv. L. IV. cap. 2. p. 156. ſeq.*

§. III.

Amori in Deum mox ſubnectitur Amor in proximum, qvippe qvem *ut noſmet ipſos* diligere nos decet. Atq; hoc præceptum priori ſimile dicitur, non qvidem *abſolute*; cum maxima deprehendatur diſſimilitudo inter utriusqve Tabulæ præcepta, tam ratione Objecti, qvod in prima Deus, in altera homo, qvam ratione naturæ, atqve difficultatis, qvia Dilectio Dei Dilectionẽ proximi, ceu cauſa Effectum, antecedit, longeq; difficilius eſt, amare Deum, qvem non videmus, qvam, qvem videmus, proximum; ſed *reſpective*, habita nimirum ratione tum cauſæ efficientis, qvia utrumqve præceptum Deum habet Autorẽ: tum cultus Moralis, qvia utrumq; æqve purum, ſincerumq; affectum reqvirit: tum cohærentiæ, qvia ſi qvis Deum diligit, etiam proximum diligat, neceſſe eſt, & vice verſa: tũ effectus conſeqventis, qvia non minꝰ ac primũ obligat ad obedientiã vel ad pœnã: tũ deniq; ratione attributionis, qvia qvæ proximo præſtamꝰ Charitatis officia, Deus tanqvam ſibi præſtita reputat. Conf. *Walth. Harm. Script. p. 88.*

Qvo-

Quocircà probè obſervandum, quòd præceptum poſterius non vocetur priori ἴσον, qvia Deus præ omnibus diligendus, ſed ſaltem ὅμοιον, quia maximam cum illo habet convenientiam. Nec obſtat, qvòd Johannes 1. Ep. IV. 20, Dilectionem proximi præponat Dilectioni DEI. Nam licet ordine naturæ Dilectio Dei præcedat Dilectionem proximi; attamen reſpectu manifeſtationis inter homines prior eſt Dilectio proximi, propterea qvòd ex defectu Dilectionis erga proximum, firmiter colligatur defectus Dilectionis erga Deum. Vid. *Gerh. P. I. Harm. Evang. Cap. 156. p. 1328.* Ingenioſa perqvàm, & in ſenſu orthodoxo vera eſt ſimilitudo, qvâ *Bernhardus Serm. 13. de modo bene vivendi*, utitur, ſcribens: *Sicuti avis duabus alis in cœlum contendit, adeò ut una illarum ſine alterius ſocietate min mè ſufficiat, ſed ut ſuum in cœlos volatum exped at, neceſſum eſt, ut utraque explicetur: ità quoqve ei, qvi in cœlum vult evolare, non ſufficit, qvòd diligat Deum, excludendô proximum, nec qvòd amet prox mum, excludendô Deum. Nullus cum una ala poterit volare in cœlum, qvare? qvia nec Dilectio Dei ſine Dilectione proximi, nec Dilectio proximi ſine D lectione Dei eſſe poteſt.* *Thomas de Aqvino II 2. qv. 23. a. 4.* materiam hanc Scholaſticorum more tractans, adſtruit, Objecta Amoris erga Deum & proximum materialiter eſſe diſtincta, qvum illorum alterum reſpiciat Deum, & alterum hominem, atqve hôc pactô concedit, duo præcepta eſſe; at verò in ſubſtantia Objectum formale utriusqve hujus Amoris tantùm unicum eſſe, videlicet Deum, eò qvòd proximus ametur tanqvam imago Dei, & propter Dei voluntatem, adeòqve ex eo infert, qvòd in tantum ametur proximus, in qvantum affectus cordis in Deum defixos habeamus. Et ſanè qvàm plurimi ex illis, qvi locum Apoſt. Pauli, Rom. XIII. 8. 9. 10. Dilectionem proximi tanqvam Legis ἀναπεφαλαίωσιν καὶ πλήρωσιν commendantis, interpretari ſatagunt, nexum utriusqve Tabulæ conjuncte attendunt, adeò ut qvi proximum diligat ſicut ſe ipſum is directè ſecundam, indirectè primam impleviſſe cenſendus ſit, qvùm qui proximum, prout par eſt, diligat, neceſſariò qvoqve Deum amet; non qvòd homo renatus Legi, Dilectionem proximi præcipienti, perfe-

 ctam

ctam & omnibus numeris absolutam obedientiam præstare valeat, adeoqve Justificatio & salus æterna à Charitatis, atqve bonorum operum studiô dependeat, sed qvòd Deus juxta ἐπιείκειαν Evangelicam inchoatâ Dilectione hominis fidelis contentus sit, usqve dum in altera vita per omnimodam Dilectionis exhibitionem consummetur. Conf. *Walth. Harm. p. 1091.* Nec alio sensu accipiendum videtur dictum Apost Jacobi, qvi in Epist. sua cap. II. v. 8. scribit: *Si Legem Regiam impleatis juxta Scripturam: Amabis proximum sicut te ipsum: bene facitis.* Qvid? qvòd virgineus Evangelista Johannes, cùm Ephesi moraretur usqve ad extremam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nil ferè aliud per singulas consvevit proferre collectas, nisi hoc: *Filioli, diligite vos invicem*; tandem Discipulis tædiô affectis, & qvòd eadem semper audirent, dicentibus: *Magister, qvare hoc semper loqveris?* respondit, *qvia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Vid. *Hieron. Comm. in Ep. ad Gal. c. 6. subf.* Demirari proinde non satis possumus, qvod de Arsenio, Imperatoris Theodosii Filiorum Præceptore, Historiarum monumenta testantur. Is etenim, societatis humanæ pertæsus, in solitudinem abiit, & à Theophilo Alexandriæ Archi-Episcopo interrogatus, cur tantoperè commercia hominum fugeret? reposuit: *Dilectionem Dei cum Dilectione hominum stare non posse. Marul. L. I. c. 9.* Ignoravit dubiô procul hic μισάνθρωπος, Dilectionem proximi Legem Christi esse, prædicentis, genuinos suos Discipulos, atqve veros Christianos non ex dono Prophetiæ, ex peregrinarum lingvarum peritia, ex collata ipsis super Dæmones potestate, ex variorum populorum conversione, ex patienter tolerata suppliciorum carnificina, ex patratis miraculis, (utpote qvæ dona & opera in homines etiam impios atqve hypocritas cadunt) sed ex Dilectione proximi, ceu non fallibili notâ, cognoscendos esse. Joh. XIII, 35. conf. 1. Cor. XIII. 1. sqq. His ita se habentibus, præceptum posterius de Amore proximi commodè admodùm priori, Amorem DEI exigenti, assimilatur; qvin imò si illud penitius inspiciamus, apparebit unà sui ipsius Amor, velut exemplar Amoris

proximi, adeò ut qvi dicit: *Amabis proximum ut te ipſum*, is duo dicat, nempe, Amabis proximum, &, Amabis te ipſum, monſtratô ſimul Amoris ordine, qvòd unusqvisqve primò ſe ipſum, deinde proximum ad exemplar Amoris ſui ipſius debeat amare. Vid. *Oſiand. Theol. Caſ. pag. 1192.* Qvod ipſum nos intuentes atqve conſiderantes, ulterioribus ambagibus miſſis, propoſitum noſtrum urgebimus, ac qvoniam exemplar ordine naturæ pariter atqve doctrinæ exemplatum, ſive id, qvod ad exemplar exprimitur, antecedit, noſtrarum partium erit, initio de Ἑαυτοφιλία ſeu Amore ſui ipſius, & poſtmodum de πλησιοφιλία ſeu Amore proximi verba facere.

## CAP. II.
### De
### Ἑαυτοφιλία
### §. I.

UT igitur de Amore ſui ipſius ſeu Ἑαυτοφιλία ordiamur, indigitari eandem in T. N. cernimus per τὸ ἀγαπήσεις σεαυτὸν, id eſt, amabis teipſum. Qvod ipſum verbum ἀγαπάω (unde derivatur vocabulum ἀγάπη, it. ἀγαπητὸς &c.) Grammaticorum qvidam dictum volunt παρὰ τὸ ἄγειν πᾶν, eò qvòd amor omnia contrahat & conjungat; ſicut contrà odium dirimit ac diſſipat: alii ex ἄγαν & σπάω, nonnulli ex ἄγαν & παύομαι componunt, qvorum illi efficaciter amore trahi, hi placidè in rebus amatis acqvieſcere amantes indicant; qvanqvàm rectiùs ab ipſa Matre Ebræa vocis natales deduci poterunt, videlicet à rad. אהב cui ſi communem Grammaticorum Regulam accommodaveris, & terminationem Græcam addideris, res erit expedita. Vid. *Well. Gramm. p. 39. & Gerhard. Gramm. Harm. pag. 302.* Latiſſimus qvidem hic ſe campus aperit diſſerendi generatim de Amoris Affectu, utpote qvem Venerandi Eccleſiæ Patres, Doctores Ethici, Scholaſtici ad Th. II. 2. qv. 23. nec non alii doctrinâ præſtantes Viri in libris ſuis atqve tractatibus editis copioſiſſimè & deſcripſerunt, & deprædicârunt; aſt enim verò qvùm inſtituti noſtri ratio non permittat, longiùs

evagari, malumus Lectorem, plura desiderantem, relegare ad modò laudatos Autores, non adeò ignotos, & præcipuè ad *Malderum*, qui *Tract. de Fide, Spe & Charitate, qv. 23.* inter alia observatu non indigna, Scholasticam qvoqve Philologiam circa vocum Amoris, Dilectionis, Charitatis, it. ἀγάπης & Φιλίας, ἀγαπάω & Φιλέω, differentiam fusius proponit. Sufficit nobis in præsenti, scire, qvòd Amor in homine secundum Definitionem *August. Libr. de Amicitia, sit animæ rationalis affectus, per qvem ipsa bonum aliqvod cum desiderio qværit & appetit ad fruendum, per quem & fruitur eô, & cum quadam interiori svavitate amplectitur & adeptum conservat.* In qva qvidem Definitione maximam partem delitescit distinctio inter *Amorem benevolentiæ, concupiscentiæ, complacentiæ, atqve desiderii.* Amor benevolentiæ est, cùm qvis fertur in rem amatam, ut ei bonum communicet: amor concupiscentiæ, cùm qvis fertur in rem amatam, ut bonô ejus fruatur: amor complacentiæ, cùm qvis acqviescit in bono amato jam præsenti: amor desiderii, cùm qvis appetit bonum absens. Conf. *Joh. Thierry ap. Scherz. Man. Philos. p. 16.* Omnes hæ amoris species in Ἑαυτο-Φιλίας & amoris proprii delineatione occurrent; qvi tamen non est unius modi, sed respectu Facultatum animæ tàm inferiorum, qvàm superiorum, vel sensitivus, vel rationalis, vel spiritualis audit. Amor sui sensitivus tribuitur aliàs brutis animantibus, per sensum constitutis, quia unumquodqve animal, simul ac ortum est, & seipsum & omnes partes suas diligit, ut inqvit *Romanus Ille Sapiens L. II. de Fin.* Addantur ea, qvæ habet *Belgicus Sapiens Libr. II. de I. B. & P. c. 19. §. 3.* Nihilominùs tamen competit amor sui sensitivus etiam homini, qvatenus ille ut animal spectatur, licet non solus, qvia in ipso prætereà deprehenditur Amor sui rationalis. Etenim homines perfectiorem, qvàm bruta animantia, essentiæ gradum obtinent, & præter appetitum sensitivum insuper ratione gaudent, cujus beneficiô tùm bonum, & media bonum consequendi, tùm malum, & media malum declinandi, sub conceptu formali cognoscere valent. Vid. *Rachel. Tract. de duellis*

*ellis §. 3.* Qvum itaqve hoc de brutis neutiqvam affirmare liceat, utpote qvæ bonum & malum materialiter ſaltem cognoſcunt; hinc Amor ſui ſenſitivus in homine meritò rationalis dicitur, non per eſſentiam, ſed per participationem, qvia in tantum participat à rationalitate, in qvantum appetitûs rationalis imperio, cui ſubeſſe debet, ſe ſubjicit. Supereſt Amor ſui ſpiritualis, hominum proprius ſpiritualium, qvi ex Spiritu Dei nati ſunt, inqve nova & ſpirituali vita ambulant. Joh. III. 6. Rom. VI. 4. Conf. *Feurb. Faſc. VI. Contr. Theol. Diſp. 3. coroll. 1. 2. 3.* Qvemadmodùm autem Amorem ſui ſenſitivum rationali, ità non minùs rationalem ſpirituali ſubeſſe, & utrumqve intra ſphæram ſuam ſe continere decet, propterea qvòd bona, circa qvæ triplex hæc (ut ità loqvamur) Heautophilia verſatur, non Eſſentiâ humanâ abſolvantur, ſed per τὸ σεαυτὸν, præter illas duas eſſentiales hominis partes, etiam alia atqve varia bonorum genera, ad hominem qvoqvô modô ſpectantia innuantur, qvorum pleraqve *à modo adeſſendi, ab adjuncto, & à fine* nobis innoteſcent. Propter modum adeſſendi, bona hominis diſpeſcere placet in ſupernaturalia ſeu ſpiritualia, ut ſunt: Fides in Chriſtum, Juſtificatio; & naturalia, qvæ rurſus vel eſſentialia ſunt, ut: anima rationalis, & corpus organicum, qvarum eſſentialium partium vinculum eſſentiale eſt vita, tanqvam fundamentum bonorum temporalium, & æternorum occaſio; vel extraeſſentialia, qvæ eſſentiæ humanæ jam conſtitutæ ſuperveniunt. Atqve hæc extraeſſentialia bona ſunt iterum vel interna, tùm animi ut: ingenii acrimonia, memoriæ firmitas, tùm corporis, ut: robur virium, formæ venuſtas; vel externa, ut: libertas, honor. Ratione adjuncti, bonum eſt vel honeſtum, ut: Virtutes Intellectuales & Morales; vel jucundum, ut: voluptates animi & corporis; vel utile, ut: victus atqve cultus. It. bonum eſt vel hujus vitæ, ut; inchoata imaginis divinæ recuperatio, gratioſa cum DEO unio; vel alterius vitæ, ut: conſummata imaginis divinæ recuperatio, glorioſa cum Deo unio. Reſpectu finis, bonum eſt vel propter ſe tantùm, ut; Gloria Dei;

vel propter aliud tantùm, ut: divitiæ; vel propter ſe & aliud ſimul, ut: libertas. It. bonum eſt vel uni tantùm proficuum, ut: grata ſolitudo; vel paucioribus, ut: ſocietas domeſtica; vel pluribus, ut ſocietas civilis, aut humana. Circa omnes hos bonorum ordines Ἑαυτὸ Φιλ῀ ita eſt occupatus, ut qvædam bona amet amore benevolentiæ, qvædam amore concupiſcentiæ, qvædam amore complacentiæ, qvædam amore deſiderii; alia itidem amet Amore ſui ſenſitivô, alia Amore ſui rationali, alia Amore ſui ſpirituali.

§. II.

Diffiteri qvidem nec volumus, nec debemus, amorem ſui tam in Sacris Pandectis, qvàm in Eccleſiæ Doctorum, aliorumqve cordatorum Virorum Scriptis paſſim vitio verti. Etenim Chriſtus ipſe Johann. XII. 24. dicit. *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Conf. Matth. X. 39. Marc VIII. 35. Luc. IX. 24. & Ap. Paulus in hominum malitioſorum ſodalitio principem locum τοῖς Φιλάυτοις tribuit 2. Tim. III. 2. Sic *Auguſt.* L. XV. de C. D. c. ult. *Amor ſui*, inqvit, *ædificat civitatem Babylonis usqve ad contemtum Dei.* Sic *Chemnit. Harm. c. 105. pag 1957.* ait: *Amor proprius pervertit judicium, obfuscat rationem, obſcurat intellectum, &c.* Qvin imo gentilis Philoſophus *Plato L. V. de LL.* docet, qvòd Τὸ φίλαυτον εἶναι, ſuorumqve affectuum rivalem eſſe, grande ſit nefas, πάντων ἀμαρτημάτων αἶπον. Aſt enim verò hæc neutiqvàm de Φιλαυτία recta & moderata, ſed ſaltem de perverſa & immoderata ſunt accipienda, utpote qvæ vel in objectum illicitum, & Lege Dei prohibitum fertur, vel in amore objecti, alioqvin liciti, aut modum excedit, aut finem legitimum non attendit, & odium potiùs, qvàm amor ſui dici debet, propterea à qvòd homines à Deo, à ſtatu integritatis & cœleſti beatitudine magis magisqve abducat. Rom. VIII. 6. 7. 2. Tim. III. 4. Hinc *Auguſt. Ep. 52.* ordinem, in Amore adhibendum, expreſſurus: *Deus*, inqvit, *præferendus; qvi aliter diligit, odiſſe ſe dicendus eſt; nemo, niſi Deum diligendo, diligit ſe ipſum.* Magnô id ſuô malô experti ſunt Protoplaſti noſtri, qvi Divinum de non comedendo vetitæ arboris fructu mandatum, amore filiali obſervandum ex majoris,

qvam

qvàm ipſis competebat, excellentiæ appetitu transgrediendô, reverà ſe oderunt, dum mortem omnigenam, qvam Deus comminatus erat, inde ſibi attraxerunt, Gen. II. 17. III. 5. ſeqq. Cui morti nos omnes qvoqve & ſinguli proh dolor! à primo conceptionis noſtræ momento ſumus obnoxii, dum Philautia perverſa & Narciſſæa nobis connaſcitur, adeò ut qvilibet mortalium, juxta naturam conſideratus, nihil magis in votis habeat, qvàm nullum eſſe Deum, cui ſubjectus ſit, & actionum ſuarum rationem reddere teneatur, ſed ut ſibi ſemper liceat, ex animi ſui libidine vivere, omniaqve non niſi ad propriam utilitatem, voluptatem, atqve gloriam referre. Nihil jam dicemus de amore ſecundùm naturam animalem & ſenſibilem, concupiſcendô tantùm bona ſenſibilia: qvâ ratione ſolent craſſiores Epicuri de grege porci ſe ipſos amare. Perpendamus modò amorem, naturæ rationali conformem, & ſecundùm bona virtutis: qvâ ratione non pauci ex Moratioribus etiam Gentilibus vitam ſuam traducere ſunt conati, multaqve haud contemnenda monita de amore ſui rectè temperando Scriptis ſuis poſteritati conſecrârunt. Vid. Epict. Enchir. cap. X. & XX. Confer. Dn. *Pufendorffius, in Specim Controv. c. IV. §. 11.* refutans *Thomam Hobbeſium*, qvi Φιλαυτίαν principium actionum Moralium abſolutè conſtituit, & cujus ſententiam recentiſſimus Syſtematis Philoſophici auctor, *P. Sylvanus Regiſius* interpolavit, *nec Deum omninò naturaliter amandum, niſi in qvantum naturæ rationali utilia præcipit, ſubdolè argutatus. T. III. Curs. Philoſ. p. 405.* Nonnè ſi ſcapham ſcapham, & ficum ficum appellare ſedet animo fatendum eſt, ejusmodi homines ſemper, ſi non in actûs ſubſtantia, certè in ejus circumſtantiis, & præſertim in circumſtantia finis, graviter peccare, adeoq; inter corda & verba, inter verba & facta, inter facta & jura, maximum ſæpenumerò diſcrimen intercedere? qvùm verô verius perſtet illud Eſſentialis Veritatis effatum, qvô *omne figmentum cogitationum cordis humani, ſibi relicti & irregeniti, tantummodo malum eſſe omni tempore pronunciatur*, Geneſ. VI. 5. VIII. 21. Pſ. XIV. 4. Rom. III. 10. 11. 12. Unde qvoqve fit, ut hæc perverſa concupiſcentia phraſi Scripturæ dicatur carnalis, non qvòd

in

in ſola carne, id eſt, corpore, aut ſenſualitate partis inferioris, cum brutis animantibus communi, reſideat, qvùm idololatria & alia vitia moralia, ad intellectum atqve voluntatem ſpectantia, carnis opera ſint, docente *Apoſtolo* Gal. V. 19, 20. adſtipulante *Bellarm. L. V. de ſtatu peccati: & Corn. à Lap. ad Jac. I. v. 16.* ſed qvatenus ſignificet naturalem, & per carnalis generationis modum propagatam corruptionem hominis, qvæ includens privativè defectum rectitudinis, ineſſe debitæ, & poſitivè contrariam qvalitatem vitioſam, ſolicitantem ad actus Legi Dei contrarios, in habitualem & actualem diſpescitur. A qvibus malis qvùm nec renati prorſus ſint immunes, eò qvòd Renovatio mentis ac voluntatis ipſorum hac in vita non abſolvatur, ſed tantùm inchoetur, ità ut vetus Adam naturæ ipſorum, omnibusqve interioribus & exterioribus viribus ſemper infixus maneat, mirum non eſt, ſi illi, perpetuam σαρκοπνευματομαχίαν in ſe ipſis ſentientes, renati Apoſt. Pauli qverelam Rom. VII. 18. 24. ſuam faciant, ſeriaqve Johannis admonitione opus habeant, juſſu Dei ita eos adhortantis: *Nolite diligere mundum, & qvæ in eo ſunt, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & vitæ ſuperbiam* 1. Joh. II. 15. Conf. *Oſiand Theol. Cas. p. 800.* ubi ventilatur illa, qvæſtio, num *amor Dei & Mundi ſimul poſſint conſiſtere?* nec non *Walth. Harm. p. 1332. ſeq.*

§. III.

Perverſam hanc, & omnibus hominibus congenitam Philautiam, pro menſura & exemplari Amoris, proximo exhibendi, neutiqvàm agnoſcere licet, ſed ſaltem rectam & ordinatam Heautophiliam, qvæ in Lege præcipitur, & ad Naturam Dei, Statumqve Integritatis propriùs accedit. Eſt Deus T. O. M. Ens nobiliſſimum, omnes rerum creatarum perfectiones vel formaliter, vel eminenter poſſidens, adeoqve uti malis omnibus caret, ità bonis omnibus abundè affluit, & ὑπερκάρμος tranſcendente qvodam attributionis genere in Scripturis appellatur 1. Timoth. I. 11. VI. 15. Qvum itaqve Deus perfectionem ſuam, extenſivè & intenſivè perfectam, perfectiſſimè intelligat, & nihil in Se præter Se, hoc eſt, Bonum abſolutè

absolutè Summum cognoscat, nullô modô Se odisse potest, aut ab Amore Sui cessare, sed nunqvam non Sui amantissimus est, Essentiam Suam, Attributa, & Opera Sua intensissimè amandô. Sic Deus omnia fecit propter se ipsum & ad Suam Gloriam, qvæ ipsi tam chara est, ut illam alteri nunqvam sit daturus. Prov. XVI. 4. Jes. XLII. 8. Vid. ex prof. *Petav. T. I. Dogm. Theol. LVI. c. 7.* Ecqvis porrò dubitet, hominem integrum, à DEO Creatore creatum ad Ipsius imaginem, consistentem in excellenti qvadam hominis cum Deo πρωτύπῳ conformitate, & qvidem principaliter in conformitate tùm Intellectûs cum Dei Scientia & Sapientia, tùm Voluntatis cum Dei Justitia & Libertate, tùm Appetitûs sensitivi cum Dei Puritate & Ἀυταρκείᾳ; minùs principaliter in conformitate tàm corporis impassibilis & non mortalis cum Dei immutabilitate & æternitate, qvàm externi dominii cum Dei Potestate & Majestate: ecqvis, repetimus, dubitet, hominem integrum, ejusmodi amplissima dona, qvàm plurimis aliis donis non naturalibus magis qvàm supernaturalibus aucta, perfectè cognoscentem, amasse se ipsum tenerrimè? Tametsi verò hæc bona atqve dona per lapsum Protoplastorum, in qvorum lumbis tunc temporis eramus, maximam & nobilissimam partem amisimus, dum ante Regenerationem circa bona naturalia libertatem appetendi valdè debilem & langvidam, circa bona spiritualia planè nullam habemus, nostraq; voluntas non minùs qvàm intellectus in divinis & spiritualibus exuta est omnibus viribus adeò ut bonum spirituale & supernaturale, efficacissimis etiam persvadendi rationibus, adhortationibus, minis & promissis nobis propositum, semper respuamus, detestemur, fugiamus, nedum ut illud sponte nostrâ eligamus & appetamus, prosequamur, aut eô delectemur: Nihilominùs tamen Deus tum per Legem Naturæ, cordibus nostris inscriptam atqve insculptam, tùm per ejusdem solennem repetitionem, Legisqve Moralis promulgationem, illam rectitudinem, quam anteà dedit, in hunc usqve diem à nobis omnibus & singulis jure optimô exigit. Hinc *A. Gellius Noct. Att. L. XI. cap. 5. Natura*, inqvit, *omnium, qvæ nos genuit, induit nobis, inolevitqve in ipsis statim principiis, qvibus*

*qvibus nati ſumus, amorem noſtri & charitatem, ita prorſus, ut nihil qvicqvam eſſet charius penſiusqve nobis, qvàm nosmet ipſi.* Moraliſtæ Pontificii communiter ſunt ſoliciti de eo, qvòd in nullo præcepto videatur ſui ipſius Amor mandari, & qvando illis dubia proponuntur reſolvenda, tandem adid confugiunt, qvod homo naturaliter ſe ipſum amet. Vid. *Vincentii Filiuccii Theol. Mor. Tr. XXII cap. 1. n. 4.* Aſt enimverò qvum & diabolus vel immediatè, vel mediante mundi immundi miniſteriô, non deſinat incitare hominum imbecillem naturam ad varia delicta, & homines ad inſtar Medeæ Ovidianæ malis affectibus ſæpius obtemperent, qvàm recto judicio, adeo ut amor ille naturalis, carnis ſenſu fœdè contaminatus, inter Virtutes Theologicas recenſeri neqveat; dicimus Amorem ſui in Decalogi præcepto qvinto vi oppoſitorum mandari, propterea qvod odium ſui ibidem prohibeatur. Atqve hoc ipſum mandatum tum in V. T. vice haud ſimplici, tum N. Teſt. in noſtro dicto, aliisqve locis qvam plurimis iteratur, dum proximum noſtrum ſicut nos ipſos diligere jubemur. Conf. Eph V. 29. Coloſſ. II. 23. Nemo proinde in ea ſit ſententia, ut exiſtimet, ſui arbitrii rem eſſe, ſe ipſum vel amore, vel odiô proſeqvi, niſi velit præclarô, ſcilicet, Salomonis elogiô condecorari, dicentis: *Qui ſibimet ipſi damnum infert, is meritò nuncupatur neqviſſimus.* Prov. XXIV. 8. conf. cap. XI. 17. Probè etenim verbum futuri temporis, ἀγαπήσεις, ad indolem vocis Ebrææ ואהבת Lev. XIX. 18. imperandi vim habens, attendendum; qvemadmodum pleraq; mandata & interdicta per futurum Indicativi efferri, in propatulo eſt. Vid. *Flac. Cl. Script. P II. p. 144 §. 23.* Qvam ipſam de Amore ſui legem non tantum Chriſtus in ſtatu humillimæ ſuæ exinanitionis exactiſſimâ obedientiâ, agendo & patiendo pro nobis præſtitâ, perfectè adimplevit; verum etiam illi, qvi à Chriſto nomen habent, qvatenus renati ſunt, per vires, in Converſione à Deo, qvi Charitas & Amor eſt 1. Joh. IV. 8. ex peculiari gratia conceſſas, qvantum hujus vitæ conditio permittit, ſedulo obſervant, omnem impendentes operam, ne qvando in rectam Ἑαυτοφιλίαν ſcientes, volentes impingant, ſed ut eidem conformem vitam ſemper vivant.

§. IV.

§. IV.

Versatur autem Ἑαυτοφιλία tùm circa bonum comparandum, & conservandum, tùm circa malum evitandum, aut depellendum. Non solum enim malum est, bonis privari, sed è contrario qvoqve bonum est, malis non onerari, aut ab iisdem liberari. Qvænam verò sint illa mala, ex oppositione bonorum liqvido patet, nisi qvòd essentiale malum minime detur, qvum Deus Jehova essentiæ Creator & Conservator sit, adeoqve nec diabolo, qvi κατ' ἐξοχὴν πονηρὸς vocatur 1. Joh. II. 13. essentialis bonitas denegari qveat. Conf. *Klotz. Theol. Nat. Diss. IX. §. 20 p. 499.* Sicut igitur bona, pag. 11. & 12. ita qvoqve hoc loco mala dirimimus in spiritualia, ut sunt: ira Dei, dominium Satanæ; & naturalia extraessentialia, qvæ rursus vel interna, tum animi, ut: ingenii stupiditas, memoriæ imbecillitas; tum corporis, ut: virium defectus, deformitas oris; vel externa seu fortunæ, ut: servitus, ignominia. Ratione adjuncti, malum est vel turpe, ut: vitia intellectualia & moralia; vel triste, ut: tentationes animæ, dolores corporis; vel damnosum seu damni, ut: qvævis calamitas atqve jactura: qvo pertinet trita illa inter malum culpæ & malum pœnæ distinctio: It. malum est vel hujus seculi, ut: mors corporalis; vel alterius seculi, ut: cruciatus infernales. Ratione finis, malum est vel propter se, ut: peccatum; vel propter aliud, ut: paupertas. It. malum est vel uni tantum tale, ut: vulneratio; vel pauciori-bus, ut: deflagratio qvarundam ædium; vel pluribus, ut: urbis populosæ depopulatio. Acriter tamen hic cavendum, ne aut id, qvod reverà bonum est, & saltem mali speciem præ se fert, pro reverà malo habeatur, aut qvod revera malum est, & saltem boni speciem præ se fert, pro reverà bono habeatur: neve aut minus bonum præferatur majori, aut majori malo declinetur minus, eo qvod duobus malis inter se collatis, id qvod minus est, induat rationem boni; & contra minus bonum, qvo impeditur majus, mali rationem induat: Vid. *Conr. Dürr. Inst. Eth. P. III. sect. 1. c. 3.* Qvod si in statu integritatis permansissemus, cautione ista minime fuisset opus, qvum

ibi nec ullum malum propter abſentiam peccati locum habuiſſet, nec ullum bonum alteri obſtitiſſet. Ibi nullum bonum jucundum, atqve utile fuiſſet inhoneſtum, illaqve bona, qvæ omnibus proficua, fuiſſent freqventiora, reliqva, qvæ uni aut alteri tantum proſunt, non potuiſſent eſſe tàm varia. Longè aliter nunc comparatum eſt in ſtatu corruptionis, ubi *non rarò animi bona mala ſunt corporis, opum fuga, voluptatum interdictio, doloris metusqve contemtus. Item, bona corporis mala ſunt animi, hoc eſt, cupiditas & libido, qvibus & opes appetuntur, & ſvavitates variarum voluptatum, qvibus animus enervatur*, ut inqvit, *Lactant. L. de vita beata c. 5.* Et *Ambros. L. II. offic. c. 6.* ait: *Paradoxum Chriſtianorum eſt, honeſtum eſſe non poſſe, niſi qvod utile, nec utile, niſi honoſtum.* Sic contra Ἑαυτοφιλίαν non agit, qvi non tantùm opibus & facultatibus ſuis terga dat, ſed etiam martyrium ſuſtinet, ne ſit ex numero Apoſtatarum, qvum juxta verba *Heronymi ad Heliodorum, ſolum pietatis genus ſit, in hoc eſſe crudelem.* Uberioris illuſtrationis ergô aſſumamus articulum fidei de Cruce, actiones & paſſiones dolorificas involvente & à Deo T. O. M. piis atque fidelibus hoc in mundo imponi ſolitâ. Ecqvid freqventius uſu venire conſvevit, qvàm ut veri Chriſtiani ſint Cruciani, & modò ſecundum animam, modò ſecundum corpus, modò ſecundum externum ſtatum, varias afflictiones atqve preſſuras perſentiant? Job. I. ſeq. 2. Cor. XI. & XII. Illa certè παθήματα, ſive à Deo immittantur, ſive permittantur, probis atqve genuinis Chriſtianis, ceu mala abhorrere, fugere, aut iniqvô animô ferre, donec Deus, ardentibus ipſorum precibus permotus, ex beneplacito ſuo eadem tollat, vel emolliat, neqvaqvam convenit, qvùm ſint ſigna Dilectionis Dei, qui per hanc crucem, cruce Chriſti ſanctificatam, bonum ſemper intendit finem. Act. XIV. 22. 2. Cor. IV. 8-18. Apoc. III. 19. Atqve hâc ratione παιδεία & δοκιμασία nimium qvantùm à τιμωρία & pœna, propriè ſic dicta, differunt. 1. Petr. I, 7. Hebr. X, 29. XII. 6-11. Τιμωρία enim infligitur hominibus flagitioſis, & ordinem dicit ad culpam non remiſſam: παιδεία vero & δοκιμασία exploratio ſeu probatio eſt, qvà exercentur pii non pro-

propter antecedentium peccatorum reatum, qvi ſublatus eſt, ſed ex voluntate Dei gratioſa ad probandam illorum fidem, patientiam, & conſtantiam. Pœna propriè ſic dicta proficiſcitur in foro Dei Judiciario ab actu Juſtitiæ Vindicativæ cum intentione inferendi damnum, peccatis debitum: crux verò piorum imponitur κατ' ἐπιείκειαν ab actu Providentiæ Dei Paternæ, eſtqve unice directa in Dei Gloriam, & hominis corrigendi atqve probandi bonum, commodum & ſalutem. Joh. IX, 1. 2. 3. Rom. VI. 6. Jac. I, 12. Qvocircà homo ἑαυτῷ Φιλῶν beatum ſe ducit, & gaudiô exultat, ſi præter meritum, & ob boni honeſti ſtudium, Deô permittente, ab hoſtibus ſuis variis moleſtiarum atqve calamitatum generibus mactatur. Matth. V. 10. 11. 12. Act. V. 4. 1. Petr. IV. 13. 14. qvemadmodùm nec prudentiores è Gentilibus qvicqvam in malorum cenſum retulerunt, niſi qvod ſuâ culpâ atqve improbitate ſibi accerſiverant. Qvod ipſum tamen non ità nudè accipiendum, ac ſi bonum honeſtum tantùm verè bonum ſit, ex ſententia Stoicorum, ſtatuentium, ſolum bonum honeſtum veri boni nomine dignum eſſe, adeoqve à Viro Beato expeti ſeu appeti tantùm: eundem verò jucunda & utilia ſaltem ſumere vel malle, (er nehme ſie mit / wenn es ihm ſo gut würde / Germanorum phraſi) aut ſidetur optio, præferre utilia inutilibus, jucunda injucundis; idqve propterea, qvia falſò ſupponebant, Summum Bonum conſiſtere in habitu, adeoqve Virum Beatum (habitu) externis bonis tanqvam minus bonis, & ad habitum non pertinentibus, facilè carere poſſe. Conf. Magnifici Dn. *Alberti Comp. Jur. Nat. P. II. c. 4. de Αὐταρκείᾳ p. 95.* Qvis enim noſtrum negaverit, Chriſtianismum conſiſtere in praxi & exercitio Virtutum Theologicarum? qvod ipſum ut eò melius ſuccedat, non parum juvant cætera bona, in recreationem, atqve uſum hominibus piis, (cum exceptione tamen crucis, atqve reſervatione majorum bonorum) à Deo promiſſa. Sic Chriſtus ipſe: *Qværite primum Regnum Dei, & adjicientur vobis hæc omnia.* Matth. VI. 33. Sic Paulus 1. Tim. IV, 8. *Pietas ad omnia utilis eſt, & habet promiſſionem hujus & alterius vitæ:* nec non verſu præced. 4.

*Qvicqvid creavit Deus, bonum eſt, nec qvicqvam rejiciendum ſi cum gratiarum actione ſumatur: ſanctificatur enim per verbum Dei & preces.* Conf. *Geier. Comment. in Cob. II. 3. p. 43.*

§. V.

Propius jam nobis ad Heautophiliæ ἐνέργειαν exprimendam accedentibus idem planè contingit, qvod pictoribus, qvi exiguo nonnunqvam ſpatio plurimas res includere coguntur. Noſtra enim inſtituti ratio non fert, (ne præſens Diſputatio modum Diſputationis excedat) ſingulatim omnia perſeqvi, eo qvod actionum tam variæ dentur circumſtantiæ, nihilq; fere in homine ἑαυτοφίλῳ fit, qvod non data occaſione operoſum ſe exhibeat. Affabre admodum id depinxit Auguſtinus (ſi tamen is Autor eſt *Homil. 50.*) *Homil 15. Ecce ſpinam calcat pes, qvid tam longe ab oculis, qvam pes? longe eſt loco, proximus charitatis affectu; Modicum pungit ſpina, & parvum locum tenet in pede; vide, qvomodo illuc convertantur omnia membra; nunqvid oculi ceſſant qværere? nunqvid aures ceſſant audire? Forte alii, qvi vident, ubi ſit, dicunt: ecce ibi eſt; ſtatim hoc audiunt aures, & ſeqvuntur conſilium: ibi & oculi qværunt, & manus operantur, &, ut dixi, totum corpus illuc incurvatur, & nihil vacat in homine ad ſubveniendum, & ſolum in pede factum eſt vulnus, & qvicqvid eſt in homine, operatur; Nunqvid omnia puncta ſunt? Nunqvid omnia dolent? Sana eſt manus, ſani ſunt oculi, ſanum eſt caput, ſana ſunt alia membra, ipſe pes ſanus eſt, ibi tantum dolet, ubi punctus eſt. Non ergo communis eſt calamitas omnibus, ſed per compaſſionem charitatis omnia veniunt ad ſubveniendum, omniaqve ſuccurrere volunt.* Et *Pufend. L. II. de I. N. & G. c. 5. §. 10. Noſtrorum*, inqvit, *membrorum integritatem tam tenero nobis ſenſu Natura commendavit, ut non poſſimus non modis omnibus ipſam protegere.* Neceſſitati proinde parentes, ſumma ſaltem ſeqvemur veſtigia rerum, qva potuerimus brevitate, oſtenſuri, qvomodo Heautophilia tum affectu, tum effectu ſeſe exerat. Anſam ita procedendi ſuppeditavit nobis *B. Dannhauerus, in Hodos: pag. 514.* definiens Heautophiliam, qvod *ſit affectus animæ humanæ, & virtus, qva homo ſe ipſum, corpus ſuum, animam, vires, qvatenus ſunt Dei creaturæ, & condita ad Ejus imaginem*

*ginem, agnoſcit, æſtimat, ponderat, ſibi bene vult, bonum ſuummet qværit, corpus, vitam, famam pro viribus tuetur,* ὁλοκαρδίως, *promtè, voluntarie, ardenter, gratuitò, conſtanter, legitimè, poſt Deum ſummè.* In qva Definitione qvum partim explicitè, partim implicite tum affectuum, tum effectuum interiorum & exteriorum, à duabus primariis animæ rationalis Facultatibus, Intellectu ſcilicet atqve Voluntate prodeuntium, fiat mentio, non præter rem acturi ſumus, ſi, propoſitis præcipuis, & maxime huc ſpectantibus Affectibus, demonſtremus, qvomodo & Intellectus & Voluntas ad Heautophiliam exercendam concurrant. De Affectibus igitur circa bona & mala conſtat, illos in Appetitu concupiſcibili ac iraſcibili ex amore atqve odio oriri, nec non aut à proceſſione, aut ab intenſione, aut à compoſitione nomen accipere. Qva proceſſionem, ex amore progerminant lætitia, & cupiditas; ex odio triſtitia, & metus. Lætitiam parit ſenſus boni præſentis. Jeſ. IX. 3. LXI. 10. Cupiditatem excitat bonum futurum. 2. Cor. V. 5. 1. Tim. III. 1. qvod ſi perſvaſio accedat, nos bonô futurô potituros eſſe, ſpes vocatur. Rom. VIII. 24. 25. 1. Cor. IX. 10. Triſtitiam gignit ſenſus mali præſentis. 2. Corinth. VII. 10. Thr. V. 17. Metum ſeu formidinem incutit malum futurum. Prov. XIV. 16. Luc. XXVI. 26. Qva intenſionem, ſummus lætitiæ gradus eſt, exultare: Pſal. XLVII. 2. Act. III. 8. cupiditatis, anhelare: Pſ. XLII. 2. 3. Job. VII. 2. ſpei, fiduciam habere: Hebr. XI. 1. Phil. I. 25. triſtitiæ, angi: Pſ. CXLIII. 4, 1. Sam. XXX. 6. & metûs, pavere Job. XXII. 13. Dan. IV. 6. Qva compoſitionem, ex præcedentibus alii affectus profluunt, nempe ira, ex triſtitia propter malum, ad nos pertinens & cupiditate illud depellendi: Num. V. 39. Thren. III. 39. voluptas, ex lætitia ſuper bono, qvô fruimur, & cupiditate id habendi diutius: Pſ. I. 2. Deut. XXX. 18. dolor, ex triſtitia propter malum, qvod diſplicet, & metu, ne in poſterum nos diutius premat: Rom. XI. 12. Job. XVI. Atqve ita porro.

§. VI.

De Intellectu Ἑαυτοφίλῳ tenendum, qvod is notitias tam connatas, qvã acqviſitas, tam theoreticas, qvam practicas magis magisq; corrigere atq; perficere laboret, præter alia adjumenta, ex

attenta

attenta confideratione Libri tum Naturæ, tum Scripturæ hauriendo veram cognitionem Dei, ſui ipſius, ut & aliarum rerum, ſibi ut homini, atqve Chriſtiano convenientium. Pſal. XIX. 1. Rom. I. 18. 21. II. 14. 15. Joh. V. 39. Actor. XVII. 11. 2. Petr. 119. Etenim, qvum *Deus Bonum hominis exiſtat, qvem neſcire, mori, qvem noſſe, vivere eſt;* ut piè ſcribit *Auguſt. L. I. Confeſſ. cap. 4.* hinc Ἑαυτόθιλος nihil prius atqve antiqvius habet, qvam ut ipſius intellectus imbibat puram doctrinam de Dei Eſſentia, tum abſolutè, tum relative ſpectata, Deut. VI. 4. Jeſ. XLIV. 6. 8. Matth. XXVIII. 19. 1. Joh. V. 7. de Ejus Attributis tum immanentibus, tum emanantibus, Gen. XXI. 33. Ex. XXXIV. 6. Pſ. CXLV. 3. Jer. XXII. 23. de Ejus Voluntate tum Legali, tum Evangelica, Ex. XX. 1. ſeq. Matth. XXII. 36-39. Joh. III. 16. 17. VI. 40. de Ejus Operibus, in Regno Potentiæ, Gratiæ, & Gloriæ conſpicuis, Pſal. CIV. & CXI. Joh. XVI. 22. 1. Cor. XIII. 12. Conf. *Scherz. Syſt. Theol. p. 34. ſqq.* præcipuè verò qvod Deus Trinunus tum in univerſum mundum, tum in genus humanum, tum in ſingulos homines regimen exerceat, qvi religiosè ſit colendus, qvi nihil non perſpectiſſimum habeat, qvi benefactis præmia, malefactis ſupplicia propoſuerit, eoqve nomine ab omnibus incorrupte, & citra perſonarum reſpectum rationem ſit exacturus. Pſ. CXXXIX. 1. 18. Jer. X. 23. Act. XVI. 25. 28-31. Rom. II. 6-16. In hac cognitione non ſolum præcipuum hominis ἑαυτοφίλια munus vertitur, verum etiam ea fundamentum eſt illius acqvieſcentiæ, qvà ipſius animus intrinſecè perfunditur, qvin & omnis probitatis atq; rectæ Ἑαυτοφιλίας baſis exiſtit. Jer. X. 23. Joh. XVII. 3. Col. I. 9. 10. II. 2. Pet. I. 8. 15. Sap. XV. 3. Cognitionem Dei excipit cognitio ſui ipſius, qvæ circa hoc potiſſimum occupatur, ut Ἑαυτόφιλος ſeipſum, hoc eſt, ſuam Naturam, Statum, atqve Officium probe exploret atqve noſſe diſcat. 1. Cor. V. 11. 2. Cor. XIII. 5. Apoc. III. 17. 18. Quam cognitionem, tanqvam iter veræ Sapientiæ præeuntem, tanti fecit Vetuſtas, ut aureis literis in Templo Delphico dedicatum qvondam fuerit: γνῶθι σεαυτὸν. *Noſce teipſum.* Vid. *Cauſab. ad Prrſ. Satyr. 3. v. 67.* conf. *Gerh. Joh. Voſſius de Cognitione Sui.* Ex hac ſcil. cognitione ſui ipſius rite ſuſceptâ, Ἑαυτόφιλος

anim-

animadvertit, se non à se ipso extitisse, sed sublimiori Principio suas origines debere, brutisqve animantibus nobiliorem esse creaturam, animâ rationali, immortali, excellentibus facultatibus instructâ, corpori in Sociam, imò Ducem datâ, gaudere nec se solum, aut sibi soli natum, sed partem esse humani generis, per totum orbem hic illic dispersi, ac qvamvis imaginem Divinam, in Protoplastis concreatam, per eorundem lapsum amiserit, nihilominus tamen præter reliqvias congenitas, ejus, rursum ex Dei gratia capacem esse, dum virtute Spiritus Sancti per Evangelii prædicationem, & Sacramentorum legitimam dispensationem in anima sua vera in Christum Redemtorem fides accendatur, utpote qvam Regeneratio, Justificatio, Sanctificatio, & tandem æterna Glorificatio seqvatur, adeo ut non indignus habeatur, qvi & appelletur, & sit Filius Dei, Sponsa Christi, Templum Spiritus S. hæresqve vitæ, nullis temporum metis, nulloqve felicitatis modô circumscribendæ. Gen. I. II. III. Job. X. 8-12. Ps. CXXXIX. 13-18. Ezech. XVI. 2-14. Os. II. 19. 20. Marc. XVI. 15. 16. Rom. VIII. 1. Cor. III. 16. VI. 15. Eph. I. 17. 18. 19. Hinc apud animum nunqvam non reputat, se juxta Verbi Divini, humanarumqve legum normam, pro virium præsentium modulo, tum ad gloriam Dei illustrandam, tum ad proximi commodum promovendum, tum ad propriam salutem procurandam esse obligatum, sibiqve non cœco impetu actiones suscipiendas, aut citra certum finem, sed rite prius formandum judicium de rebus, qvæ appetitum stimulant, aut sub actionem cadunt, ut ex Conscientia recta tum finem, conditioni suæ congruentem, sibi proponat, tum media ad eum finem recte attemperet. Jes. VIII 20. Rom XII 1-8. XIV. 7. 8. 1. Tim. IV. 16. 1. Pet. II 11. Et qvidem circa finem, qvi semper boni cujusdam rationem habet, beneficio intellectus præcognoscit, an aliqvis finis se offerat; qvum absqve fine nullus Sapiens agat: qvis finis se offerat, an sit finis Cujus vel Cui, efficiendus vel obtinendus, &c. qvalis se offerat, num sit honestus & legibus conformis, an minus honestus & legibus repugnans, utilis an inutilis, jucundus an minùs jucundus; qvomodo se habeat ad alios fines, an cum

illis ſtare poſſit, & ſi ſtare poſſit, qvinam finis ſit optimus: qvomodo ſe habeat ad perſonam agentis, num hanc deceat, nec ne; qvum finis qvandoqve ſtare poſſit cum aliis finibus, ſed non cum perſona agentis: & tandem qvomodo ille finis ſe habeat ad voluntatem, num huic, & qvo gradu placeat, magisne an minus. Similem in modum beneficio intellectus Ἑαυτοφίλου circa media & remedia deliberat, an ſuppetant, qvænam, qvot, & qvalia reqvirantur, tum qvô tempore, qvô locô, qvô modô, qvô ordine, & per qvem rite applicentur. 1. Sam. XVIII. 5. 15. Prov. XIII. 16. XVI. 20. Luc. XII. 28-33. XVI. 8 Sir. XIX. 19-26. Notatu maxime dignum eſt aſſertum *Socratis: unum bonum eſſe Scientiam, malum contra unum ignorantiam*; qvia id eatenus verum eſt, qvatenus mala pleraqve inſcitia qvædam & ignorantia præcedit, ſicut contra ea, qvæ juſtam ſolidamqve Scientiam conjunctam habent, cæteris paribus, bona ſunt. Conf. *Beemann. Conſp. Mor. c. 3. & 4.*

§. VII.

De Voluntate Ἑαυτοφίλου obſervandum, qvod illa finem, ſive ultimum, ſive intermedium, ab intellectu, ut vere bonum, cognitum & commendatum, intendat atqve eligat. Luc. X. 42. 1. Theſ. V. 21. Intentio finis ſeqvitur ejus præcognitionem, & electio conſultationem: ubi tamen neceſſum non eſt, ut uterqve actus indiviſim cohæreat, qvia interdum præcognitio finis adeſt, ſine ejusdem intentione, & deliberatio ſine electione ſeqventi ſuſcipitur. Dividunt alias Ethici intentionem tum qvà effectum, in poſitivam, qvæ fini ſub ratione boni acqvieſcit; & remotivam, qvæ finem ſub ratione mali averſatur: tum qva objectum, in intentionem deſiderii, qvæ fertur in finem abſentem; & intentionem complacentiæ, qvæ frui optat fine præſenti. Pari ratione diſpeſcitur electio tum qva effectum, in poſitivam, qvæ finem intermedium ſeu media ſub ratione boni approbat atqve applicat; & remotivam, qvæ media ſub ratione mali reprobat atq; declinat; tum qua objectum, in abſolutam, qvæ media ſimpliciter, & conditionatam; qvæ media ſub certa conditione vel approbat & applicat, vel reprobat atqve declinat.

clinat. Ambæ distinctiones voluntati Ἑαυτῷ Φίλῳ commode poterunt aptari, cujus prætereâ officium est, bonorum ordinem, ab intellectu monstratum, seqvi, præferendo scilicet spiritualia naturalibus: Matth. VI. 33. temporalia æternis: Phil. III. 7-15. essentialia extraessentialibus: Job. II. 4. interna externis: Job. XXVIII. 15-19. bona animi bonis corporis: Sap. VII. 10. bonum honestum jucundo & utili: 1. Joh. II. 15. 17. qvod pluribus prodest, illi, qvod uni vel paucioribus est proficuum: Phil. I. 22-26. bonum, qvod propter se tantum tale est, ei, qvod partim propter se, partim propter aliud, & hoc vicissim illi, qvod tantum propter aliud tale est. Col. III 17. Matth. VI. 25. Ante omnia itaq; Ἑαυτῷ Φίλῳ bona spiritualia & æterna appetit, dum ipsi curæ est, ut vetus Adam, per pravos motus & actus subinde caput efferre gestiens, magis magisqve coërceatur, deprimatur, debilitetur, enecetur, & id qvidem virtute Spiritus Divini, qvi in anima sua per Verbum & Sacramenta veram in Christi Redemtoris meritum fidem accendat, augeat & conservet, qvò per illam, ex mera Dei Gratia, ab onium peccatorum culpa & pœna absolvatur, justus declaretur, cum Deo svavissime uniatur, opera vere bona, ceu fructus fidei, indesinenter edat, ac tandem æternam, omnibusq; bonis affluentem vitam, tanqvam fidei terminum, mediante placidâ morte, consequatur. Ps. LXXXIII. 23-28. Joh. VI. 47-58. Rom. IV. V. VI. 2. Cor. V. 17. Phil. I. 23. Tit. III. 4-8 1. Petr. I. 3-23. Bona animi naturalia Ἑαυτῷ Φίλῳ appetit, dum genii sui impulsum, corporis & ingenii peculiarem habilitatem, natalium conditionem, bona fortunæ, parentum svasiones, qvandoqve imperium civile, invitantem occasionem, & urgentem necessitatem probe intuens, studiose allaborat, ut animus iis rebus, artibus, studiis atqve disciplinis solide imbuatur, qvæ affectibus debite moderandis, officio hominis ingenui decore perfungendo, semel proposito vitæ generi ritè obeundo, proximi commodis promovendis, nec non propriæ saluti procurandæ qveant inservire. 1. Reg. IV. 29. 34. Prov. XVI. 10. 32. XXIII. 12. 23. XXIV. 5. XXVI. 10. Dan. I. 4. 17. 1. Cor. XIV. 26. 1. Tim. IV. 16. Bona corporis Ἑαυτῷ Φίλῳ appetit, dũ qvicqvid vitæ jacturam minatur, membrorum integritatem læ-

 dit,

dit, ſenſuum vigorem imminuit, pulchrè conſtituti corporis habitui adverſus, qvoad fieri poteſt, declinat, eumq; ob finem Temperantiæ in cibo, potu, Venere, motu, ſomno & vigiliis litat, licitas & innoxias voluptates modicè deguſtat, objecta amœna atqve grata, qvantum iicet, ſenſibus admovet, curas inutiles amputat, immoderatas corporis afflictiones, & dolores non neceſſarios fugit, medicinæ uſum in morbis non negligit, imò ad vitæ ſuæ filum longius extendendum, deficientibus aliis ſvavioribus remediis, membri cujusdam abſciſſionem haut gravatim patitur. Prov. XI. 17. XXIV. 13. XXV. 16. Coh. III. 12. 13. 22. V. 17. 18. 19. IIX. 15. X. 17. Sir. XXXVII. 30 34. XXXIIX. 1-22, Rom. XIII. 14. Eph. V. 29. Bona externa ſeu Fortunæ Ἑαυτὸ Φιλῶν appetit, dum voluntatis ſuæ indifferentiam nunqvam ſine cauſa reſtringit, & alterio arbitratui ſubjicit, ſed ſi ſui juris eſſe poteſt, libertatis donô jucundè fruitur: Joh. VIII. 33. 1. Cor. VII. 21. It. dum rectè agendo poſt mortem qvoq; duraturam exiſtimationem, ſive ſimplicem, h. e. opinionem boni viri, cujus abſentiam in vita communi multa incommoda ſeqvuntur, ſive intenſivam, h. e. honorem & gloriam, cujus præſentia in rebus gerendis non parum momenti habet, ſibi conciliat, & ſi ea per mendacia, calumnias & injurias ab improbis impetatur, ſtrenue defendit, ſe ipſum neqve intempeſtive laudat coram aliis, neqve nimium extenuat, ſed gravitatem comitate, comitatemqve gravitate ſolicite temperat: Prov. XXII. 1. XXV. 25 Coh. VII. 1. Jer. XXXVII. 12. 13 14. Joh. VIII. 48. ſqq. XVII. 20-23. Tit. II. 15. It. dum ſibi de perſonis, rebus & facultatibus, ad vitam tranqville & commode traducendam neceſſariis, qvantum occaſio, vires, & honeſtas admittit, magnâ curâ adhibitâ proſpicit, acceptarum & expenſarum rationes freqventer ſupputat, res partas Parſimoniæ tradit, nec easdem præter neceſſitatem & rationem diſſipat atqve profundit. Gen. XXX. 29 43. Prov. XIII. 11. XXIV. 4. XXVIII. 19 XXXI. 10-31. Coh. II. 4-8. 1. Theſſ. II. 9. Sir. XX. 30. In proclivi qvidem nobis eſſet, acervatim hic accumulare bona, qvæ Ἑαυτὸ Φιλῶν appetat & proſeqvatur; aſt ex brevitatis amore tantum potiora voluimus adducere', ſatis habentes, dixiſſe, voluntatem illa, & id genus alia bona appetere, &

proſe-

proſeqvi actibus tùm elicitis, tùm imperatis, qvorum illi immediate à voluntate producuntur & recipiuntur; hi verò ab aliis facultatibus, impulſui voluntatis obſeqventibus, executioni dantur. Sic ſingulorum ſenſuum organa, nec non omnia corporis humani membra, ut ſunt oculi, aures, naſus, os, lingva, manus, pedes &c. niſi per aliud impediantur, voluntati, miniſterium eorundem ad bonorum acqviſitionem, aut conſervationem, & malorum evitationem, aut depulſionem reqvirenti, morem gerere nunqvam renuunt, ſed promtè ejusdem imperium exeqvuntur. Ac qvoniam dilectiſſimus Servator noſter ſanctiſſimè promiſit, Se vi meritoriæ Suæ interceſſionis, à Deo, omnis doni boni atq; perfecti Datore, nobis impetraturum, qvicqvid in Nomine Ipſius petierimus; Joh. XIV. 14. XVI. 23. hinc Ἑαυτόφιλος, indigentiam ſuam, nec non virium ſuarum infirmitatem agnoſcens lingvæ adminiculo identidem utitur, & ex intimo cordis affectu preces, merito Chriſti inixas, cœlo admovens, omnis generis bona, qvorum ſummam Oratio Dominica exhibet, id eſt, tùm bona ſpiritualia & æterna conditionatè, tum corporalia, & temporalia cum conditione expetit, certâ fiduciâ fretus, Deum vel immediate, vel mediantibus ſuis creaturis, præſertim hominibus, qvi ſecundum Deum rogandi ſunt, bona neceſſaria atq; ſalutaria benigne ſibi largiturum eſſe, qvibus impetratis, non omittit debita gratiarum actione, tanqvam ad plura dandum invitatione defungi. Pſ. L. 15. Ll. 14. Matth. VIII. 2. 1. Tim. II. 1. 2.

§. IX.

Ut autem modò adducti affectus & effectus, qvibus Heautophilia ſe exerit, eò meliùs atqve felicius ſuccedant, moderamine indigent Prudentiæ, qvæ juxta *Ariſt. L. VIII. Eth. c. 5. eſt Habitus cum recta ratione circa bona humana activus.* Hæc etenim Virtus, qvæ intellectum pariter ac voluntatem dirigit, tantò cæteris Virtutibus antecellit, qvanto cæteris ſenſibus præſtat viſus, ut recte ſenſit *Bion*, referente *Stobæo, Serm. de Prudentia.* Jam ut oculi prælucent toti corpori: ſic Prudentia omnium actionum Ἑαυτῷφίλῳ Directrix atqve Moderatrix ſit, neceſſe eſt, qvæ non ſinat eas à recto tramite vel ad dextram, vel ad ſiniſtram deflectere,

ctere, ſed efficiat, ut regiâ ſemper incedant viâ. Conf. *Laërtius L. V. c. 7.* Functiones Prudentiæ à *Philoſopho L. VI. Eth. c. 7.* tres numerantur, ſcilicet *rectè judicare, benè conſultare, & voluntatem efficaciter movere ad executionem.* Hinc non ſolùm *Socrates* interrogatus, qvinam Prudentes eſſent, reſpondit, *qvi non facile delinqvunt*; verùm etiam *Menander* ità ſvaviter cecinit:

Ἀγαθὸν μέγιστον ἡ Φρόνησις ἐς ἀεί·
Ἂν εὖ Φρονῇς, τὰ πάντα γ' εὐδαίμων.

Atqve hæc ab Ethicis Scriptoribus literarum monumentis conſignata de laudibus Prudentiæ profanæ atqve Philoſophicæ, qvæ circa naturalia & terreſtria verſatur, nihil impedit, qvo minus Prudentiæ qvoqve Sacræ atqve Theologicæ, qvæ circa ſpiritualia & cœleſtia maxime occupatur, accommodari poſſint, qvum neutra alteri contrarietur, ſi illa huic, prouti par eſt, ſubordinetur. Sunt eqvidem nonnulli, qvi ſiniſtre interpretantes dicta Apoſt. Pauli, Rom. VIII. 6. 7. Col. II. 8. Prudentiam Philoſophicam Theologicæ repugnare autumant. Conf. *Scheibl. in Pröem. Op. Metaph. C. I. II. III. IV.* Aſt enimverò ſi prudentiam carnis corruptæ, ſibiqve relictæ, qvæ ibi intelligitur, & ideò ſub obſeqvium fidei captivanda eſt, removeamus, nullam plane inter Prudentiam Philoſophicam atqve Theologicam deprehendemus pugnam, qvum Dei Effata ſibi ipſis non ſint contraria. Nimirum uti per Scripturam loqvitur ad nos Deus de via noſtræ ſalutis æternæ: ſic per Naturam loqvitur ad nos Deus de aliis rebus, puta Naturalibus, Oeconomicis, Civilibus & Moralibus. Ita utrobiqve Deus Præceptor noſter eſt, & animis noſtris infert illam veram notitiam, qvam intus habemus, ut qvaqva verſus recte dicatur, illa Dei ad nos Effata eſſe, ſive per Prophetam aut Apoſtolum, ſive per alium Præceptorem docentem, aut etiam per ingenioſitatem, homini Divina donatione inditam, ad nos loqvatur. Vid. *Thom. L. I. contra Gen. c. 7.* Tantum proinde abeſt, ut Prudentia naturalis atqve profana ſupernaturali atqve ſacræ, in Scripturis Sapientiæ titulo paſſim condecoratæ, contrarietur, ut potius illi ſit admodum utilis, ſi ab illa ſe perfici ſinat.

Perficitur

Perficitur autem hæc à Deo T. O. M. mediante Verbô Suô revelatô, qvod per intrinſecam illuminandi vim, concurrente efficaci operatione Spiritus Sancti, tanqvam Spiritus Sapientiæ, homines vere Sapientes atqve Prudentes efficit. Pſal. CXIX. 104. 2. Tim. III. 3-17. Addantur, qvæ habet *Geier. Comment. in Coh. VIII. 1. Sapientia hominis illuminat vultum ejus: pag. 279. ſeq. coll. cum Matth. VI. 22. & Flac. in Cl. Script. ſub V. Sapientia, p. 1091.* Qvisqvis igitur rectæ Heautophiliæ ſtudet, & temporalis ſuæ atqve æternæ ſalutis eſt cupidus, nec eandem per carnem blandientem, mundum ſcandalizantem, & ſatanam ſeducentem ſibi vult intercipi, is verum agat Philoſophum, & Verbi, Sapientiæ pleni, ſtudium curæ cordiqve habeat, reqvirens hominem tum paſſivum, qvi Verbi ſemen in cor ſpargi ſinat, nec Deo malitiorum obicem ponat, ſed patiatur, ut Deus per verbum & Sacramenta nec non per Crucem, intellectum dantem, in corde ſuo operetur: tum activum, qvi ad Verbum devote attendat, id ipſum inſtar grani commiſſi piis meditationibus cuſtodiat, incrementum Sapientiæ precibus ardentibus qværat, peccata, præſertim proæretica, ſolicitè caveat, in operibus Vocationis ſuæ vitam, homine Chriſtianô dignam, coram Omniſcii atq; Juſtiſſimi Dei facie vivat, & forte ſuâ contentus, omnia Providentiæ Divinæ committat. Gen. XVII. 1. Pſ. XXXVII. 5. Jeſ. XXVIII. 19. Luc. VIII. 15. XI. 5-13. Rom. VIII. 12. 13. 14. 1. Tim. VI. 6. 7. 8. Jac. I. 5. Qvod utinam omnes eſſemus Sapientes, & prædiți Juſtorum Prudentia (Jac. I. 13-18. & in Prov. Salom. nec non Lib. Sapient. paſſim vivis coloribus expreſſa) non tam corporalia, & τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, qvam ſpiritualia, & τὰ ἄνω curaremus! eo, qvod *omnia ſeculi & Naturæ bona ſint ſomnium, umbra, nihil, ſi cum ſpiritualibus atq; æternis comparentur.* Vid. *B. Aug. in Pſ. XXI.* Habuit Rex Iſraëlitarum Salomo, qvi unus felicitatis humanæ faſtigium attigit, delicias doctrinæ, 1. Reg. IV. 31. divitiarum, 1. Reg. X. 3. voluptatis, Coh. II. 8 10. Gloriæ, 1. Reg. IV. 21 33. Magnificentiæ, Coh. II. 4. potentiæ, 2. Paral. VIII. 7 8. pacis omnigenæ, 1 Reg. IV. 24. ſq. ſed his omnibus qvaſi defatigatus, ſolemne illud: *Vanitatum vanitas, & omnia vanitas*, exclamavit Coh. I. 2 XII. 8. Usqve adeo verum eſt illud Johannis

hannis 1. Ep. II. 17. *Mundus (schema hujus mundi 1. Cor. VII. 31.) præterit, & cupiditas ipsius; qvi verò facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Commode huc qvadrant versus, qvos, attestante *Jac. de Licht L. Omnia, Nihil.* Isabella, Regina qvædam Hispaniæ, in interiori aulæ recessu descriptos, singulis diebus lectitare consveverat:

*Si mihi sint vires & prædia magna, qvid inde?*
*Auri sint species, argenti massa, qvid inde?*
*Si mihi sint nati Regis de stirpe, qvid inde?*
*Longus Servorum mihi serviat ordo, qvid inde?*
*Et rota Fortunæ me tollat ad astra, qvid inde?*
*Si felix annis regnavero mille, qvid inde?*
*Nam citò prætereunt hæc omnia, qvid, nihil, inde?*
*Serviat ergò Deo omnis homo, qvia sic satis inde.*

## §. X.

Opponitur Heautophiliæ odium sui, non qvidem bonum & rectum, qvale est peccatoris pœnitentis, qvi se ipsum ratione peccati sui abominatur, abnegat, abjicit, crucifigit & mortificat, 2. Cor. VII. 4. Col. III. 5. (tale enim odium ad Amorem sui pertinet, vid. p. 25.) sed malum, sive sit directum, sive interpretativum, sive affectu tantùm, sive affectu & effectu simul se prodat. Spectat huc generatim qvâ excessum Philautia, stricte sic dicta, seu nimius sui amor, qva defectum, nimia sui neglectio. Speciatim amori in bona spiritualia contrariatur Atheismus, & Epicureismus, nec non omnes ad eosdem viam parantes opiniones & actiones, veræ Religioni, & bonis moribus exitiosæ. Conf. *Spizelii* & *Reiseri Atheismus*, ut & *Gabrielis à Costa*, Apostatæ, Naturalistæ & Athei, *Exemplar vitæ humanæ*, qvod Clariss. Remonstrantium Theologus *Philippus à Limborch*, *in calce Tract. de Verit. Relig. Christ. ann. 1687. Goudæ edidit.* Amori in bona animi naturalia adversatur eorum neglectus, aut abusus, qvando qvis vel bonam indolem nactus, illam incultu atqve socordia torpescere sinit; qvum tamen *ingenio neqve majus, neqve amplius in natura Mortalium sit*, teste *Salust. Iugurth.* Hinc etiam Mitylenenses, imperium maris tenentes, sociis, qvi desciverant, hanc pœnam imposuerunt, ut liberos suos non docerent literas, omnium

ſuppliciorum hoc graviſſimum judicantes, in inſcitia & ignorantia liberalium artium vitam tranſigere. *Ælian. V. H. L. VII. c. 15.* Vel qvando qvis inanibus dat operam literis, qvæ tum circa falſa & erronea occupantur, tum qvæ ſatagunt circa commenta aſtutorum, aut otioſorum hominum, diſtinendis ingeniis, ne ad ſolidam rerum atqve artium cognitionem adſpirent, qvum tamen teſte *Mart. II. Ep. 86. turpe ſit, difficiles habere nugas:* hinc etiam *Iſocr. Encom. Helenæ, longè præſtabilius eſſe ſtatuit, de rebus utilibus mediocres opiniones habere, qvam ſupervacuarum exqviſitam notitiam, & aliis paulo ſuperiorem eſſe in magnis, qvàm in parvis, præſertim iis, qvæ vitam nihil adjuvant, multum excellere.* Vel qvando qvis circa artes & ſtudia ita verſatur, ut illa non ad culturam animi, atqve uſum aliqvem vitæ humanæ referat, ſed pro ſterili occupatione fallendo tempori habeat, qvum tamen teſte *Plut. de Educ. Liber. Contemplator, ſi actionibus abſtineat, inutilis ſit:* hinc etiam *Pacuvius* apud *Gell. N. A. L. XXIII. cap. 8. Ego odi homines ignavâ operâ, & Philoſopha ſententia.* Vel qvando qvis nativa ingenii bonitate abutitur, cujus malitia, ubi acceſſerint literæ, fiat incurabilis & intractabilis magis, eo qvod per has velut arma capeſſat, qvibus eam defendat & in apricum producat, qvum tamen teſte *Luciano in Conviv. nil proſit noſſe literas, niſi qvis & vitam melius diſponat:* hinc apud Ægyptios Bibliotheca inſcribebatur: *Medicatorium animæ. Diod. Sicul. L. I. cap. 49.* Amori in bona corporis repugnat *ἀυθχειρία*, qvæ vel *primaria* & cum mortis periculo, vel *ſecundaria* & ſine mortis periculo. Primaria & cum mortis periculo conjuncta, iterum duplex eſt, aut naturalis, cum auctor propricidii eſt cauſa, per ſe & directe ſibi mortem propria manu inferens, motus vel ambitione, vel timore, vel devotione, vel tædio vitæ, vel impatientia, vel vulnere Conſcientiæ: conf. *Bald L. III. Caſ. Conſc. c. 4.* aut moralis per indirectum influxum, adeoq; aut per maturius accelera. tam mortem ſivè vino, ſive Venere, ſive irâ, ſive triſtitiâ, ſive affectu qvovis alio, non moderate cohibito; aut per intermiſſionem, ſi, cum fugere periculum mortis poſſis, ac debeas per Prudentiam, non fugias per audaciam, vel cum defendere te poſſis

ac debeas per Fortitudinem, defensionem istam per timiditatem omittas. In qvam classem pertinent valetudinis suæ curam susqve deqve habentes, qvi aut ægroti artem Medicam contemnunt, aut cum sani sint, nulla officii ratione coacti, locis & personis infectis se commiscent: It. milites temerarii, qvi, cum fugere possent cum *Varrone Liviano*, cum *Paulo* Collega perire malunt: It. martyres audaculi, qvi itidem declinare valentes pericula cum *Athanasio*, iis se immergunt cum Judæorum illis adolescentibus apud *Joseph. L. XVII Antiqv. cap. 8.* De aliis speciebus moralis αὐτοχειρίας vid. *Less. L. II. de J. & J. c. 9. d. 6.* Ad secundariam αὐτοχειρίαν referuntur immoderata jejunia, flagellationes, vulneratio, virium debilitatio, nec non corporis mutilatio, qvæ ultima qvibus in casibus licita vel illicita sit, in posteriori nostra & qvidem Morali Dissertat. *de voluntaria corporis sui mutilatione*, à §. III. usqve X. fusius deduximus. Amori in bona externa seu Fortunæ minus convenit solicitudo temporalium, nec non eorundem neglectus aut abusus. Illa est nimia mentis occupatio in bonis externis, qvo jure, qvâ injuriâ conqvirendis ac conservandis: In qvo vitio includitur tum nimius affectus in bona temporalia, tum anxietas qvædam, & nimis exigua fiducia Providentiæ Divinæ, qvando vel conatus nostri non satis belle succedunt, vel damnum aliqvod intervenit, tum summa delectatio in sola bonorum possessione, ac infinitô eadem accumulandi studiô. Hæc vero vitia conspiciuntur, qvando qvis creaturis non eô fine, cui destinatæ sunt, fruitur, sed vel per ignaviam, vel per prodigentiam, ea, qvæ melioribus usibus debentur, temere negligit, aut profundit, præsertim qvum illud multiplicem officii violationem habeat conjunctam, & hoc ad multa scelera ac molestias, puta æs alienum, fœdam paupertatem, rapinas, fraudes, furta viam sternant. Ad hos atqve similes affectus, & effectus, Heautophiliæ rectæ contrarios, impellit cum maxime stoliditas atq; simplicitas, Prov. 1. 7. 22. ceu vitiosa taxata, & tanqvam noxia declarata, qvia *reqvies simplicium interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos.* Qvemadmodum enim in humanis is merito habetur pro stolido, qvi tam ratione, qvam

oratione

oratione recte non vult uti, qvi ea qvidem capit, qvæ ſenſui guſtûs, tactûs, olfactûs, aliisqve ſunt grata vel ingrata, non itidem, qvæ intellectum informant & voluntatem perficiunt; ita qvoq; in Sacris is appellatur ſtolidus, qvi terreſtria affectat, animæ curâ neglectâ, donisq; Dei ſpiritualibus oblatis uti nec vult, nec poteſt, ſed fidit cordi ſuo, Prov XXVIII. 26. peccati ſtultitiam iterat, c. XXVI. 10. 11. domum ſuam conturbat, c. XI. 29. Philautiæ addictus eſt, c. XII. 15. verbis prodit ſtultitiam, c. XVII. 28. breviter, qvi ad mala ſatis ſapiens, ad bona plane ſtupidus eſt. Jer. IV. 22. Commendatur qvidem non unô locô Scripturæ Simplicitas, ceu Virtus, ſummopere ſectanda, & arcte amplectenda, adeoq; & David, qvi tamen prudenter admodum ſe geſſit, ſimplicibus ſe annumerat. 1. Sam. XVIII. 5-15. Pſ. CXVI. 6. Aſt enimvero non innuitur ibidem fatua atqve ſtupida ſimplicitas ejus, qvi credens omni verbo, Prov. XIV. 15. facile ſuperatur à blandiente ſcorto, c. VII. 7. & imprudenter in mala imminentia irruit, cap. XXII. 3. 27. ſed ſancta & pia, tum fidei, qvando qvis apud ſe non ſapit in myſteriis, ſed ruditatem ſuam naturalem perſpectam habens, inſtar pueri docilis, ex ſolo Spiritûs Divini ductu & magiſterio dependet; tum vitæ, qvando qvis alienus à ſtudio ſimulandi & diſſimulandi, vitæ innocentiam & ſinceritatem ſectatur, nec malis artibus commoda ſua qværit. Atqve hæc Simplicitas cum Prudentia optime ſtare poteſt, ſecundum illud Chriſti: *Prudentes eſtote ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Matth. X. 19. Qvi enim ſerpentis prudentiam in malis columbinæ ſinceritati circa bona miſcuerit, is neqve prudentiam ſinet malignam fieri, neqve ſimplicitatem ſtolidam.

Conf. *Joh. Gerſon & Chavaſſius in peculiaribus Tractat. de vera Prudentia.*

# CAP. III.

## De

## Πλησιοφιλία.

### §. I.

HActenus de Ἑαυτοφιλία, ejusdemqve Oppositio seu μισαυτία: reliqvum est, ut etiam de πλησιοφιλία seu Amore proximi, qvi ad exemplar Amoris sui ipsius conformandus, nonnulla subjungamus. Ubi ante omnia terminus τῦ πλησίον seu proximi, qvi nobis πέλας ἢ πλησίον seu prope qvodammodo accedit, dextre venit explicandus, eo qvod multæ, eæqve haud leves controversiæ circa illud ipsum vocabulum fuerint motæ. Judæorum interpretes, Sociniani, & qvam plurimi ex Pontificiis, ut Salmeron, Maldonatus, Vincentius Regius, Becanus, aliiqve nomen רע, qvod Lev. XIX. 18. extat, & h.l. per πλησίον vertitur, de solis exponunt Israëlitis. Conf. *Osiand. Theol. Cas. pag. 1185.* Ast enimverò operam illos ludere, facili negotio potest demonstrari. Nonne enim רע & Proximus indefinite unumqvemqve hominum citra respectum familiaritatis aut notitiæ prioris denotat? qvomodo vocem illam Ebræam de eo, qvi nobiscum communi fruitur cœlo, pabulo, aut communi saltem humanitatis naturâ, ex multis Scripturæ locis constat, ut: Prov. VI. 29. XI. 9. XVI. 29. Jer. XXXI. 34. coll. cum Hebr. VIII. 11. Zach. VIII. 17. coll. cum Eph. IV. 25. Confer. *Geier. Comment. in Prov. XXI. 10.* Nonne Christus in parabola de Saucio ac Samaritano docet, non solum indigenam, sed cujuscunq; nationis hominem, sive Tros fuat, sive Rutulus, qvi ope nostra indigeat, qvemqve juvare & aliqvo Humanitatis officio mactare valeamus, proximum nostrum esse? Luc. X. 29. Nonne Paulus Dilectionem τῦ רע & πλησίον per Dilectionem non τῦ ἑταίρῳ, sed τῦ ἑτέρῳ seu alterius, qvicunq; ille sit, exprimit? Rom. XIII. 8. Nonne Deus Israëlitis, ex Ægypto abiturientibus, concessit, ut qvivis vir à proximo suo, id est, Ægyptio mutuaretur aurea atqve argentea vasa? Exod. XI. 2. Conf. Jud. XII. 20. Nonne Lex de Dilectione proximi, Lev. XIX. 18.

XIX. 18. generatim propoſita, ad peregrinum v. 34. ſpeciatim accommodatur? qvando dicitur: *Tanqvam indigena eſto peregrinus; diliges eum ſicut te ipſum.* Et niſi proximi titulô etiam exteri forent inſigniendi, promanarent inde hæc abſurda; qvòd Iſraëlitis impunè licuiſſet exteros vitâ privare, eorum uxores adulterio conſtuprare, eorum bona furto ſuppilare, eorum famam calumniis atq; mendaciis proſcindere, eorum res concupiſcere: hæc enim רע תקֵּ tantùm prohibita leguntur Ex. XX. 16. 17. Lev. XIX. 11. 13. qvæ tamen vitia in ſe & ſuâ naturâ mala eſſe, qvis negaverit? Ipſimet Judæi hac in parte liberaliores ſunt Socinianis. Nam *Joſephus L. II. c. Appion.* fatetur, legibus ſuis ſancitum, ut peregrinis præbeatur ignis, aqva, cibus, iter comiter monſtretur. Gratis Adverſarii nobis objiciunt locum Lev. XIX. 17. 18. hujus tenoris: *Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo: libere corripito proximum tuum, neqve ferto in eo peccatum: ne ulciſcitor, neqve iram aſſervato in populares tuos, ſed diliges proximum ſicut teipſum.* Damus enim haud inviti, popularium & fratrum expreſſe fieri mentionem, qvia vitia, hic prohibita, magis ſolent exerceri adverſus fratres & populares, qvam exteros, vel illo Romano teſte, qvi increpitus, qvod cum germano fratre ſimultates atqve lites foveret, reſpondit; *nihil ſimultatum aut litium ſibi cum aliis intercedere, cum qvibus familiam herciſcundam non haberet.* Inde tamen non magis ſeqvitur: ergo exteros proximis diligendis non accenſeri, qvàm ex eo, qvod homo moveatur, qvum ſit animal, colligi poteſt, canes & eqvos vel non moveri, vel animalibus non annumerandos eſſe. Concedimus inſuper, vi Legis Moſaicæ haud paulo reſtrictiorem fuiſſe converſationem Iudæorum cum extraneis, qvam Chriſtianorum hodiè, qvia ob graviſſimas cauſas pertinebant hæc interdicta ad ſingulares ordinationes, Politiam Iudaicam concernentes; negamus tamen atqve pernegamus, apud Moſen proximum opponi extraneo, qvaſi ab Amore & officiis Amoris erga Gentiles Iſraëlitæ abducerentur. Conf. Deut. XXIII. 7. XXIV. 14. Jubebantur Iſraëlitæ Cananæos exſcindere ut populos, à Deo propter idololatriam, & alia nefanda ſcelera ma-

lectos; Ex. XXIII.23. sqq. Lev.XXVI.7.8. Jos.X.13. 1. Sam. XXX. 26. nihilo tamen secius maledictos illos populos debebant diligere ut proximum, qvia absqve odio vindicta exercenda est à Judice, vicario Dei, vel illo, qvem Deus in instrumentum executivum Justitiæ suæ elegit. Qvando igitur Israelita Cananæum occidit, actus non odii, sed Justitiæ fuit; qva ratione carnifex Principis aut Magistratus sontem jugulat, aut in crucem tollit, qvem tamen odisse non debet: imo si carnifex ex odii & iræ affectu occidat reum, homicidii culpæ se reddit affinem. Uno verbo, nullus sani sincipitis existimabit, nihil in eo genere officiorum præscriptum fuisse Israelitis amplius, qvam qvod tribuitur ethnicis & publicanis, qvibus etiam solemne erat, indigenas & fratres suos diligere, testante Christo, Matth. V. 46. 47. Unde Wolzog. ipse Comm. in Luc. X. 37. *Christus merito concludit, si naturalis æqvitas spectetur, qvæ æterna est, & omnibus hominibus communis, qvæqve Lege Mosis non est sublata, imo ad qvam Lex Mosaica potius homines qvasi manu ducit, nullum hominem tam pro alieno habendum esse, ut ei in necessitate opem nostram denegemus, id est, omnem hominem, cujuscunqve nationis vel religionis sit, esse alterius proximum.* Conf. *Scherz. Anti-Soc. p. 338.* it. *p. 1097.*

§. II.

Qvemadmodum vero præter Israelitas & indigenas etiam Gentiles atqve ἀλλόφυλοι: ita non minus qvoqve inimici ac hostes tum Dei, tum nostri vocabulo τὸ πλησίον includuntur. De inimicis & hostibus Dei, qvi alias impii & peccatores vocantur, dubium nonnulli movent exinde, qvod peccatores liceat odisse, secundum illud Davidis Ps.XXVI.5. Conf. Ps.CXXXIX. 21. 22. Ubi advertendum, abominationis odium ab odio inimicitiæ, nec non vitia personæ ab ipsa natura accuratis limitibus esse secernenda. Odium abominationis, qvod directe erga peccata, indirecte erga peccatores fertur, non est interdictum, sed licitum, imo pium, tum qvia Deus ipse odio habet operarios iniqvitatis, Psal. V. 5. 7. Tit. I. 16. Sap. XII. 3. 4. tum qvia erga propria peccata, & ratione eorum erga nosmet ipsos indignatione & odio ferimur, Matth. XVI. 24. 2. Cor. VII. 11. tum qvia generalis Regula absqve

absqve omni exceptione formanda ex Pſ. cxix. 128. *odi omnem viam iniqvam, vel falſitatis*, coll. cum Prov. viii. 13. & Rom. xii. 9. qvod ipſum odium ſuo modo, & conſeqventer etiam in impios & peccatores redundare, patet ex Pſ. Ci. ſqq. Apoc. II 6. Comitatur illud odium contemtus impiorum, Pſ. xv. 4. eorumq; realis fuga Pſ. I 1. Cor. V. 9. 10. 11. Tit. III. 10. 2. Paral. XX. 37. Eo ipſo tamen, qvo peccatum in peccatore, imo ipſum peccatorem odimus odio abominationis, eundem amore benevolentiæ complecti debemus tanqvam proximum & Beatitudinis capacem, tùm qvia Deus id mandat, Matth. V. 44-48. tum qvia exemplum Dei hoc ſvadet, Joh. III. 6. tum qvia proximi nomine, imo & fratris continetur peccans, Lev. XIX. 17. tum qvia id evincunt opera Miſericordiæ, in peccatorem conferenda, Matth. xviii. 15. 16. 17. & Luc. xv. 1. ſqq. Poſſe autem unum eundemq; hominem & odio haberi, & diligi ſub hac diſtinctione, qvà proximum, & qva peccatorem, qva Deo ingratum, ejusq; hoſtem, & qva poſſibilem, aut futurum Deo gratum & reconciliabilem, analogice deſumitur ex diſtinctione, qvam adhibet Ap. Rom. xi. 22-28. xiv. 4. & ex altera diſtinctione, ſub qva Deus inimicos ſuos, qvos oderat, Rom. V. 8. 9. 10. tamen ardenter dilexit, Joh. III. 16. Rom. xi. 32. nec non ex tertia diſtinctione, ſub qva Chriſtus, tanqvam Sponſor propter peccata noſtra, Deo exoſus, & tanqvam Ejus Filius, atqve Sanctus Sanctorum dilectiſſimus fuit. Pſ. xxii. 1. ſqq. Matt. III. 22. Bene habent verba *Auguſt.* qvi *L. I. doctr. Chriſt. c. 37.* inqvit: *Omnis peccator, in qvantum peccator non eſt diligendus, & omnis homo, in qvantum homo, diligendus eſt propter Deum.* Atq; hæc Dilectio ſeſe exerit variis Charitatis officiis, ita ut peccatoribus, in caſu neceſſitatis opem noſtram implorantibus, vel etiam noſtra ſponte, beneficia, cum ad animalem & civilem, tum vel maxime ad ſpiritualem & cœleſtem vitam promovendam ſpectantia exhibeamus, ut ſunt: preces ad Deum, (exceptis peccatoribus in Spiritum S. ſi de iis certo nobis liqvet, 1. Joh. V. 16.) inſtructiones, adhortationes, correptiones &c. quamvis contra temporalem malorum conſiliorum & conatuum ſucceſſum precari, & malefacta, qvantũ in nobis eſt, pro ratione Vocationis noſtræ impedire, emendare, atqve

punire

punire teneamur. Pſ. CI. 3. 8. Rom. XIII. 3. 4. Matth. XVIII. 15. 16. Sir. XIX. 14. 17. Poſſe inſuper nos proximo peccanti optare qvoddam malum ob emolumentum ipſius, ut malum corporale ob concitatiorem inqviſitionem ſpiritualis, & malum ſpirituale ob majus bonum, aut incrementum ſpirituale, modo id fiat puræ Conſcientiæ intentione, liqvet ex Pſ. IX. 20. 1. Cor. VI. 45. Conf. *Dorſch. Theol. Mor. Præc. V. §. 664. p. 267. ſeq.* Qvod ad externa ſigna honoris, ſalutationes, & id genus alia attinet, poſſunt ea qvandoqve & in certis caſibus prudenter reſtringi, aut omitti ob infirmorum ſcandalum, propriæqvé ſeductionis periculum evitandum. Vid. Comment. in 1. Cor. V. 10. 11. & 2. Joh. 10. 11. ubi tamen diſcrimen adhibendum inter peccantes ex ignorantia aut infirmitate, & inter pertinaces atqve deſperate malos, nec non inter ſeductores, atqve ſeductos. Conf. *B. Waltherus in Harm. Script. p. 1100 1107.* prolixe pertractans hanc qvæſtionem: *annon pugnet cum Charitate Chriſtiana, Calvinianis, aliisqve heterodoxis dextram Fraternitatis denegare?* Qvod ſi omnis converſionis ſpes decollat, juſto Dei judicio tradere peccatores licet, ità ut cum amore benevolentiæ hujusmodi actus Elencticus & Epanorthoticus non pugnet. Pſal. LXIX. & CIX. Gal. V. 12. Talia enim vota non ad corruptionem tendere debent: unde ſemper ſubintelligitur, *niſi reſipiſcant.* Neqvaqvam autem licitum eſt orare & petere à Deo damnationem, aut excœcationem peccatoris, qvia ex præcepto Charitatis tenemur illam, qvantum poſſumus, impedire, multaqve nobis licet deſiderare ex bono fine, qvæ nullo prætextu licet petere aut procurare. Vid. *Oſiand. Theol. Caſ. p. 1204. ſeq.* Idem ferme judicandum atqve dicendum de inimicis noſtris, qvorum Dilectionem Photiniani pro Additamento N. T. & Pontificii pro Conſilio Evangelico, ad perfectionem Charitatis, non tamen neceſſitatem ſalutis, legaliter loqvendo, pertinente venditant, verba illa, *odio habebis inimicum*, Matth. V. 43. ceu ipſa genuina Divinæ Legis verba citantes, cum tamen non ſint genuina ipſius Divinæ Legis particula, ſed ſpuria Phariſæorum doctrina & noxia corruptela. Nam illa verba nuspiam in Lege Moſis reperiuntur, fatente ipſo

Oſtoro-

Ostorodô. Conf. *Feurb. Anti-Ost. Disp. XXV. th. 2. p. 369.* Imo Lex Divina refutat hæc verba: *& odio habebis inimicum :* qvia jubet Dilectionem proximi, unumqvemq; hominum viventium sub se comprehendentis: unde & perfectio Charitatis sub præcepto est. Vid. *Osiand. Theol. Cas. p. 1190.* Adhæc speciale mandatum de Dilectione inimici in V. Test. legitur Prov. XXIV. 21. qvod ipsum de omnibus hominibus intelligendum esse, Paulus attestatur Rom. XII. 19. 20. 21. conf. Jer. XXIX. 7. Baruch. I. 11. Addantur exempla Mosis, Ex. XXXII. 32. Salomonis 1. Reg. VIII. 41. 42. 43. Davidis, Ps. CIX. 4. 5. Neqve silentii velo tegendus locus Exod. XXIII. 4. 5. Dum enim Deus ibi jubet, ut etiam inimici nostri bovem errantem reducamus in viam, & asinum ejus, sub onere jacentem, sublevemus, eô ipsô innuit, qvòd multò magis ipsi inimico, nostræ opis indigo, subvenire, manusqve auxiliares offerre debeamus, qvum homo multis parasangis antecedat bestias. Qvam ipsam inimici Dilectionem, divinitus præscriptam, non evertit Lex talionis, Ex. XX. 24. qvia hæc non de privatis, sed publicis personis loqvitur, adeoqve si Adversarii inter publicum Magistratus officium, & privatum odium proximi distingvant, res erit in salvo. Conf. *Feurb. Anti-Ost. Disp. XXIV. th. 2-8. pag. 350. seqq. & Disp. XXVII. th. 15. pag. 208.* Singularia Prophetarum facta non temere nobis imitanda, qvando e. g. Jeremias c. XI. 20. XVIII. 21. 22. 23. XX. 12. contra hostes suos horrenda petiisse videtur, eo qvod Jeremias in illis locis non tam de hostibus suis egerit, qvam Messiæ, cujus illi indurati erant contemtores, & agnitæ Veritatis blasphematores, adeoqve ultionem ex hostibus videre voluerit, non à spiritu suo privato ductus, sed à Spiritu S. impulsus, qvi per Prophetas mala futura præfractis peccatoribus annunciat, & vindictam implorat, non qvod ipsi cupiant carnalibus affectibus indulgere, propriumqve gaudium, aut lucrum exinde qværere, sed qvod optent Justitiæ Divinæ exempla & testimonia publicè extare, ut cæteri ab atroci impietate deterreantur. Confer. *Walth. Harm. p. 613. seq.* In N. T. dicta Classica de Dilectione inimici, ceu proximi nostri, sunt Matth. V. 44. Luc. VI. 27. 35. XXIII. 34.

Rom. XII. 19. 20. 21. in qvibus una eademqve inimici Dilectio, qvam Moſes exigit, à Chriſto & Apoſtolis urgetur.

§. III.

Qvæ omnia nobis haud invite concedenti nihilominus hic poſſit ſuboriri ſcrupulus, an etiam homo mortuus, & fato functus, proximi titulo ſit inſigniendus. Ubi qvidem exiſtimamus, qvæſtionem hanc non melius nos finituros, qvam ſi hominem, qvi lucis mundanæ uſura frui deſiit, tam ſecundum totum Compoſitum, qvam ſecundum alterutram partem, animam ſcil. vel corpus, ſub conſiderationem noſtram vocemus. Dicimus ergo, hominem & beatum, & damnatum, poſt mortuorum reſurrectionem, quando animæ ipſorum cum corporibus redunientur, noſtrum eſſe proximum. Quemadmodum enim Beatitudo & Gloria cœleſtis non abſorbet naturam, ſed perficit, & conſeqventer naturæ identitatem, ac proximitatem non magis tollit, qvam Gratia Regenerans in hac vita naturæ humanæ veritatem, & in ea fundatam hominum inter ſe proximitatem: ita nec damnati natura humana per ſtatum damnationis ſecundum ſubſtantiam immutabitur. Couf. *Qvenſt. d. Syſt. Theol. P. I. cap. 9. p. 557.* Manebit damnatus in inferno verus homo, & propter illam humanam naturam nobis eſſentialiter erit proximus, adeoq; ut talis creatura, noſtræ naturæ conſors, non odio habebitur, ſed diligetur. Aſt enimvero amor ille noſter, qvo beatos, & damnatos aliqvando ſumus proſecuturi, per omnia exacte conformis erit Amori Divino. Sicut igitur Deus electos Amore Amicitiæ, & damnatos amore concupiſcentiæ proſeqvetur: parilem in modum Amor quoqve noſter erit comparatus. Ex Amore Amicitiæ profluent in electis ſinceræ gratulationes, mutuus honor, jucundiſſima converſatio, ſvaviſſima colloqvia, nec non alia intenſiſſimæ benevolentiæ ſigna, Matt. VIII. 11. XVII. 3 Luc. XVI. 23. Joh. XII. 26. 1. Cor. XIII. 8. Heb. II. 23. Ex amore concupiſcentiæ erga damnatos electi, carnalib9 affectibus vacui, ſepoſito omni amore benevolentiæ, atq; comiſerationis, hilari animo deprædicabunt glorioſam declarationem Juſtitiæ Dei Vindicativæ, utpote cui homines reprobi propter incorrigibilem atqve finalem in-

incre-

incredulitate atqve impietate perſeverantiam, exqviſitiſſimos cruciatus ſentientes, in omnem æternitatem erunt ſubjecti. Jeſ. LXVI. 24. 25. Matth. XXV. 45. Luc. XVI. 25. ſqq. Apoc. XIV. 10. 11. Sap. V. 1. Dicimus ulterius, qvod vita defunctus tum beatus, tum damnatus ſecundum corpus exanime in hoc ſeculo ob eandem rationem ſit noſter proximus, licet incomplete, qvia & homo incomplete talis. Convenit ergo Chriſtianis, ut Oracula Divina, probata Scripturæ exempla, Piæ Antiqvitatis conſvetudinem, & corporis humani dignitatem attendentes, opera qvædam Humanitatis atq; Miſericordiæ defunctis exhibeant, in qvibus honeſta ſepultura familiam facile ducit. Gen. III. 19. IX. 6. Eccl. XII. 7. Dan. XII. 12. Gen. XXIII. 6. 9. XXXI. 19. XXXV. 8. 19. Deut. XXXIV. 6. Joſ. XXIV. 32. Non male *Origenes L. VIII. contra Celſum* ſcribit: *Rationalem animam honorare didicimus, & hujus organa ſepulchro honorifice demandare.* Qvod ipſum non tantum de ſangvinis, aut neceſſitudinis cujusdam vinculo mortuis obſtrictis, verum etiam aliis intelligendum, ut & illi, præſertim in caſu neceſſitatis, & funeribus pauperum, ejusmodi officia libenter præſtent, qvum hæc in operum Charitatis numero collocentur. Ruth. I. 8. II. 20. 2. Sam. II. 32. Matth. XXVII. 7. Luc. VI. 11. Tob. XII. 12. ſeqq. Qvod ſi *Plinio* fides tribuenda, *etiam apes & formicæ defunctas progerere, funerantiumqve exeqvias comitari ſolent*, L. II. *Nat. Hiſt. cap. 18. 30.* Nonnulli certe ex ſanioribus Gentilibus ex lumine Naturæ agnoverunt, corpora defunctorum honeſte tractanda eſſe. *Antiqviſſimum ſepulturæ genus* agnoſcit *Cicero, qvo redditur*, inqviens, *corpus terræ, & qvaſi matris operimento obducitur: qvo ritu ſepultus eſt Numa Rex, ſepulta & Gens Cornelia, donec è Patriiis Corneliis primus Sylla cremari voluit. L. II. de Legibus.* Apud Athenienſes ſepulchrorum tanta fuit cura, ut etiam peremtos bello ſi qvis Dux honeſtare ſepulchro neglexiſſet, capite plecteretur: Unde *Nicias* Dux Athenienſium univerſum exercitum ſubſiſtere juſſit, ut duos tantum peremtos milites ſepulturæ traderet. De *Cimone*, *Miltiadis* filio, *Corn. Nepos* memoriæ prodidit, qvod is captivum ſe ſiſtere non dubitaverit, ut pater humo honeſte inferretur. Omnem proinde Humanitatis ſenſum exu-

isse videntur *Scythæ, Massagetæ, Derbici, Colchi, Lothophagi, Nabathæi, Hircani, Bactriani, Tibareni, Taxili, Cassii, Parthi*, aliæq; gentes barbaræ, qvæ corpora defunctorum de arboribus suspenderunt, devorarunt; in mare, & sterqvilinia abjecerunt, canibus, avibus, feris objecerunt, &c. Vid. *Jun. Qvæst. Polit. 109. Alex. ab Alex. L. III. Gen. Dier. cap. 2.* Honorificentius merito in Ecclesia Christiana tractantur corpora defunctorum, præcipuè piorum, qvia fuerunt membra Christi, pretioso Ejus sangvine redemta, Eph. V. 30. templa & habitacula Spiritus S. 1. Cor. III. 16. VI. 19. arma Justitiæ, Rom. VI. 20. nec non ad vitam æternam resuscitabuntur, ut corpori Christi glorioso conformia reddantur. Phil. III. 21. conf. *August. L. de cura pro mortuis*, & *L. I. de C. D. c. 12.* Varios & dissimiles sepeliendi atqve lugendi ritus, pro diversitate locorum, atqve temporum tum V. tum N. T. adhiberi solitos, vide sis ap. *Gerh. T. VIII. rubr. de Morte §. 84. sqq.* qvi etiam §. *81. p. 138. sqq.* ea, qvæ in luctu & luxu peccentur, annotavit. Conf. *Gier. Tr. de luct. Ebr. Qvenst. Kirchman. & alios.* Tametsi verò honesta & Christiana sepultura, propter spem resurrectionis certissimam, magnopere commendanda, probari tamen neqvit Pontificiorum superstitio, dum cœmiteria certis precibus ac ceremoniis consecrant, sepulchra aqva benedicta aspergunt, eandemqve sepulchro imponunt, tres stationes in via faciunt, capiti defuncti crucem imponunt, sepulturam meritoriam statuunt &c. Vid. *Durand. Ration. Div. Offic. L. I. c. 5 9.* Improbanda qvoqve graviter Papalis illa tyrannis, qua corpora eorum, qui à Romana Synagoga secessionem fecerunt, vel sepulchris inferri prohibent, vel illata ex eisdem erui curant, ut ex historia Buceri & Fagii, à *Balæo* descripta, constat: quod quidem adeo mirandum non est, qvum & Sanctorum corporibus sepulturam denegent, eadem exhument, atque circumgestent. Vid. *Danh. Hodosoph. p. 504. de Sceletolatria.* Quousque autem tolerari possit mos corpora reorum atrocissimi criminis, ut est incendium, veneficium, latrocinium &c. in furca, rota, palis per aliquod temporis spatium relinquendi, & postmodum ignominiosa, canina atque asinina sepultura afficiendi, videre licet apud *Gerh. l. c. §. 8. 9. p. 149. seq.* & *Carpz. Jurispr.*

*rispr. Conſ. L. II. Tit. XXV. Def. 379 p. 582. ſeq.* Qvemadmodum nec improbandum, ſi præfracti contemtores Verbi & Sacramentorum, ut & heterodoxam fidem profeſſi, inhoneſta ſepultura afficiantur, ita ut pauciores, vel plane nullæ ceremoniæ funeribus eorum adhibeantur, qvia Spiritus Dei diſerte minatur idololatris, & flagitioſis hominibus, qvod ipſorum corpora in ſepulchra honeſte non ſint inferenda, ſed in ſterqvilinia abjicienda Jer. XVI. 4. XXII. 18. 19. Conf. 1. Reg. XXI. 23. 24. coll. cum 2. Reg. IX. 33. Honeſta enim ſepultura ſeu prærogativa relinqvenda piis, & orthodoxæ Religioni addictis, qva ſi & impii, atqve aliis ſectis addicti afficiantur, illi, qvi vivi odio fuerunt habiti, poſt mortem nimis honorabuntur, nec exiguum infirmis offendiculum ponetur: Conſul. *Caſp. Eraſm. Brochm. in Art. de Morte c. 3. cas. Conſc. 8.* ubi nihilominus diſcrimen conſtituendum inter eos, qvi ex ſimplicitate errarunt, & in ſua ſimplicitate deceſſerunt, atqve illis honeſta ſepultura non omnino deneganda, licet ritus ac ceremoniæ conſvetæ ſint remiſſiores; & inter eos, qvi errores ſuos non tantum pertinaciter defenderunt, verum etiam aut per cuniculos, aut per apertam audaciam alios ſeduxerunt, atqve illi poſt mortem aſininâ ſepulturâ digni ſunt habendi. Vid. *Georg. Dedek. Vol. I. Conſ. Theol. in append. ad locum de Miniſt. Sect. 7. n. 3.* & *Frid. Bald. Cas. Conſc. L. VI. c. 11. cas. 5.* Dicimus deniqve, qvòd defunctus tum beatus, tum damnatus ſecundum animam, a corpore ſeparatam, modô jam indicatô, ſit noſter proximus à nobis, pro eo, ac par eſt, amandus: ubi non minus repetenda, & denuò applicanda paulo ante data diſtinctio inter amorem benevolentiæ, & concupiſcentiæ. Qvod ſi nobis de ſalute, aut damnatione hominis defuncti non certo conſtat, conſcientiæ noſtræ non melius conſulemus, qvam ſi rem omnem Judicio Divino committentes, de mortuis, qvoad ejus fieri poteſt, mitius & ſentiamus, & loqvamur. Nulla interim ratione concedemus Pontificiis, æqvum eſſe pro vita defunctis, & in Purgatorio ſudantibus, orare, miſſas, vigilias, & anniverſaria ſuffragia inſtituere. *Durand. Rat. Div. off. L. VII. cap. 36.* Qvemadmodum enim pur-

 gatori-

gatorium in Scriptura nullum habet fundamentum,& non nisi in cerebro Pontificiorum existit: ita qvoqve preces pro defunctis in Scriptura & mandato,& promisso,& probato exemplo destituuntur. Vid. *Walth. Harm. p. 1232-1237.* ubi hæc controversia fusissime & optime est deducta. Nec obstat,qvod etiam in nostris Ecclesiis γνησίως Evangelicis, qvando in oratione funebri, aut in epitaphio pro beata defuncti ad Dominum emigratione gratiæ aguntur, hæc vel similis clausula ἐυκτικὴ subjungatur: *Deus det ei pacatam qvietem, & beatam ad vitam resurrectionem.* Nam ejusmodi votum non eum habet scopum, ut peccatorum remissionem, & è purgatorio liberationem mortuo impetret, sed est publicum testimonium de beata reqvie defuncti,cui de hac felicitate gratulamur,& profertur præcipue in consolationem lugentium ab iis, qvi pio affectu defunctum proseqvuntur. Cui congruit, qvod habet *Dionysius in Eccles. Hierarch. c. ult.* scribens: *Ecclesiam voluisse illis precibus fidem, & expectationem beatæ resurrectionis profiteri, & fidelibus confirmare. Conf. Gerh. l. c. §. 87. pag. 147.* Neqve enim formulæ illæ de omnibus promiscue usurpantur; qvin potius de notorie sceleratis penitus omittuntur.

## §. IV.

Anteqvam à vocabuli πλησίον seu proximi consideratione abeamus, illud adhuc enodandum videtur, an etiam Christus, aut Angeli, in bono confirmati, titulo proximi sint insigniendi? Ac de Christo qvidem, nulla habita ratione subseqventis parabolæ de homine semi-mortuo, & Samaritano, (qvo collimat *Augustinus L. I. doctr. Christ. c. 30.*)censemus, Eum, secundum humanam naturam, & juxta statum exinanitionis consideratum, proximi nomine non prorsus excludendum esse. Ut enim jam omittamus, Christum tanqvam caput corporis sui mystici, opera Charitatis, qvæ pio nostro proximo exhibemus, peculiari ratione sibi appropriare, Matth. XXV. 35. seqq. negari certe neqvit, Christum secundum Essentiæ & Naturæ identitatem, imo per omnia, excepto solo peccato, nobis, fratribus suis, similem fuisse factum, Hebr. II. 17. V. 15. Esto, modum originis variare in Christo, utpote qvi absqve virili opera per singularem ἐπέλευσιν Spiritus

Spiritus S. in castissimæ virginis Mariæ utero conceptus est; generatio tamen fuit univoca, qvia homo genuit hominem ejusdem secum essentiæ & speciei. Luc. I. 31. 35. Hebr. II. 14. Nec obstat, humanam Christi naturam non per se subsistere, sed Personam τῷ λόγῳ terminare in subsistendo hamanitatem, ita ut Christus, etiam secundum humanam naturam, sit verus & naturalis Dei Filius, atqve adeo non amandus videatur, ut proximus noster, Dilectione illa, qvæ est Tabulæ secundæ, sed ut Deus & Legislator Dilectione illa, qvæ in Tabula prima imperatur, nec illo affectu limitato, aut cultu civili, sed affectu illimitato, & cultu religioso prosequendus. Quemadmodum enim inter se non pugnant hæc, Christum etiam secundum humanam naturam fuisse Dominum Matris suæ, & nihilominus in statu exinanitionis ei filialem obedientiam exhibuisse: sic qvoqve citra Arianæ hæreseos notam dicimus, Christum, secundum humanam naturam, vi unionis personalis, fuisse Filium Dei, & tamen secundum eandem se libere ita exinaniviſſe, ut proximus atq; frater noster fieret. Verum est, non indiget opis nostræ Christus in statu Exaltationis, sed qvod exinanitionis Statum concernit, erat opis nostræ omnino indigus, propter voluntariam paupertatem atqve infirmitatem. Sic mulierculæ benefactrices, aliiqve Christi inopiam opibus suis sublevantes, præceptum hoc de amando proximo utiq; observarunt, Matt. XXVI. 7 13. XXVII. 55. Marc. XVI. 1. Joh. XII. 6. Qvo etiam referendum, qvod Josephus de Arimathia, & Nicodemus in sepeliendo corpore Christi fuerint occupati. Matth. XXVII. 57 61. Joh. XIX. 38-42. Quid vero de Angelis, in bono confirmatis, statuendum, num & illi sub titulo Proximi comprehenduntur? Sane Doctorum Pontificiorum chorus, & cumprimis *David à Mauden* id defendere conatur, tum ex Scriptura, non solum attestante, qvod eandem cum Angelis Beatitudinem simus adepturi: qvo respectu vocemur ἰσάγγελοι, Luc. XX. 36. sed & docente, qvod Angeli sint nostri Custodes, Benefactores, Adjutores, Comites: Matth. XVIII. 10. Actor. XII. seqq. Ebr. I. 14. Tob. V. seqq tum ex *Augustino L. I. de Doctr. Christ.* scribentis: *Jam vero, si vel cui præbendum est, vel à*

qvo

*qvo nobis præbendum eſt officium Miſericordiæ, rectè proximus dicitur: manifeſtum eſt; hoc præceptô, qvo jubemur diligere proximum, etiam ſanctos Angelos contineri, à qvibus nobis plurima Miſericordiæ officia impenduntur.* Conf. *Thomas de Aqvino in c. XXII. Matth.* Aſt enimvero, ut taceamus ἐυαγγελίαν illam à nobis nondum actu poſſideri, ſed à nobis ſperari & expectari, adeoqve concludendum eſſe, Angelos de præſenti non eſſe proximum noſtrum, ſed fore demum poſt reſurrectionem mortuorum, & judicium extremum, neutiqvam ex identitate metæ & termini, ad qvem contendimus, unice colligi poteſt, Angelos eſſe proximum noſtrum; alioqvin ex eo poſſet confici, qvam plures homines, ad eandem metam nobiscum non contendentes, ſed per latam viam ad exitium æternum ruentes, non fuiſſe, aut eſſe proximum noſtrum. Neqve etiam ex cuſtodia, & beneficiis, ab Angelis humano generi præſtitis, inferendum eſt, *ipſos* eſſe proximum noſtrum, qvia alias ſeqveretur, etiam Deum eſſe proximum noſtrum, utpote qvi Cuſtos Iſraëlis non dormitans, Pſ. CXXI. 4. & multo plura nobis confert beneficia, qvam omnes omnium Angelorum exercitus; adeoqve officia Charitatis atqve Miſericordiæ non fundant rationem proximi, ſed ſunt actus, qvi proximum ſupponunt, atqve ſeqvuntur. Qvod *B. Auguſtinum* attinet, is eatenus poteſt excuſari, qvod non abſolute, ſed hypothetice fuerit locutus. Qvum itaqve Angeli non communicent nobiſcum in natura humana, & præterea ope noſtrâ non indigeant, hinc ab appellatione proximi jure meritoqve illos excludimus. Multo minus vocabulum proximi extendendum ad bruta animantia; adeoqve ridicule *Franciscus Aſſiſius* egit, qvi referente *Bonaventura L. I. vitæ ejus c. 8.* Verbum Dei hirundinibus, corvis, lupis, aſinis prædicavit, eosqve pariter ac alias beſtias, fratrum atqve ſororum nominibus appellavit ideo, *qvod ſciret*, inqvit *Bonaventura*, *eas unum ſecum habere principium:* hinc agnos, ad mactationem ductos, ſubinde redimebat, aves & piſces captatos libertate donabat, qvin & cicadas, falcones &c. à ſe dilectos atqve protectos ad laudem Dei invitabat. Poſſemus adhuc in magna copia ex Ælian.

V. H.

*Var. Hiſt. L. V. c. 14. Varr. de re ruſt. L. II. c. 5. Bochart. Hieroz. P. I. p. 3. Dione, Spartiano, Capitolino,* aliisq; Hiſtoricis producere exempla earum gentium, ac perſonarum, qvæ amorem, proximo & amicis debitum, in oves, boves, elephantes, canes, feles &c. transtulerunt, niſi per ſe pateret, illas in exceſſu non paululum peccaſſe. Tametſi enim bruta animantia, ut omnia alia Dei opera, qvatenus naturaliter bona ſunt, diligimus, imo majori dilectione in bruta, præſertim domeſtica, qvam in alias inanimatas creaturas ferimur, eo qvod gradu & perfectione Entitatis natura ipſorum naturam harum ſuperent, & conſeqventer nobiliori illa vita ſenſitiva nobiſcum proprius communicent: amor tamen ille non amicitiæ, ſed complacentiæ, atq; concupiſcentiæ eſſe debet, qvia v. g. bovem amamus non tam ob bonum ipſius bovis, qvam noſtrum, (*paſce tuum paſtor pecus, ut paſcaris ab ipſo*) & non niſi umbra amicitiæ v. g. inter canem, & herum intercedit, qvum herus canem tantum diligat ob utilitatem, atq; delectationem, cui inſervit. De tali brutorum dilectione loqvitur Salomo Prov. XII. 10. *Novit juſtus animam jumenti ſui.* Conf. *Geier. Comm. in h. l.* Qvo etiam referendæ leges illæ de clementia in bruta. Ex. XX. 10. XXXIV. 26. Deut. XXII. 1-10.

§. V.

Intelligitur ergò per πὸν πλησίον ſeù proximum omnis & ſolus homo, qvi natura & ſpecie nobis eſt æqvalis, præſertim ſi ope noſtra hac in vita indigeat. *In ipſo ſcilicet Hominis vocabulo,* (ut utamur verbis *Pufend. L. III. de J. N. & G. c. 2. §. 1. p. 340.*) *judicatur ineſſe aliqva dignatio, & oppido efficax argumentum, qvo aliorum inſolens inſultatio retunditur, iſthoc habetur: utiqve non canis, aut beſtia, ſed æqve homo ſum, ac tu, adeoq; tui officii eſt, me æſtimare, atqve tractare tanqvam naturaliter tibi æqvalem.* *Thomas Hobbeſius*, Malmesburienſis Philoſophus, *in Elem. de Cive cap. 1. n. 3.* vi hypotheſeos ſuæ de *Bello omnium in omnes*, æqvalitatem iſtam reſtringit ad paritatem virium, & cæterarum facultatum, qvibus homines in adulta ætate ſunt inſtructi, ut exinde oſtendat, cauſam habere homines, cur naturaliter ſe invicem metuant, qvum ille nullum mihi metum incutere valeat, cujus vires ad me lædendum non pertingunt. Aſt enimvero, quamvis

æqvalitas virium aliqvid huc conferat, ut ne homo homini temere insultet, qvippe qvum anceps sit, cum pari collidi, atqve stultum, æqvali sua clade, alteri malum velle conciliare; tamen ut taceamus, etiam inter homines eum, qvi viribus est inferior altero, dolo saltem, aut adjuvante ingenii acumine, aut teli, pulveris pyrii, veneni, aliorumq; mediorum efficacitate, robustissimum neci dare posse, qvis inficias ibit, sententiam Hobbesii mutuum potius odium, qvam Amorem svadere? qvum nemo non videat, Naturam, uti in aliis rebus, ita hic qvoq; solertiam suam ostentasse, mortalibus non eadem mensura bona sua, corpus, aut animam spectantia, admetiendo: inter qvam varietatem, ut justa sibi harmonia constet, hominesqve, adeo diversis Naturæ dotibus gaudentes, se invicem diligant, isthæc, de qva agimus, æqvalitas efficit. Scilicet qvemadmodum in Rebuspubl. benè constitutis, è civibus alter alterum dignitate, aut opibus antecedit, Libertas in æqvo posita est: ita qvantiscunq; animi & corporis commodis, aut etiam aliis respectibus, qvos, necessitate efflagitante, hominum inter se inita pacta confirmarunt, qvispiam excellat, non minori tamen numero officia, cæteris paribus, adversus alios propter æqvalitatem ei sunt exercenda, qvam ipse ab aliis expectat. Atq; hanc æqvalitatem præcipue conspici dicimus in eo, qvod Deus T.O.M. in Protoplastis omnes ac singulos φιλανθρώπους, secundum animam atqve corpus, ad imaginem sui, omnigenamq; felicitatem crearit, ita qvidem, ut, amissis per peccatum ampliſſimis illis bonis, nihilominus ex singulari commiseratione voluerit, ut omnes omnino homines, in communem damnationis reatum prolapsi, Conversionis, atqve Gratiæ Suæ, nec non imaginis illius, atqve vitæ æternæ rursus capaces, participesqve fierent. Qvo fine non solum Christus in hunc mundum venit, ut per assumtam, atqve ex unionis personalis gratia in consortium SS. Trinitatis evectam humanam naturam, Redemtionis opus perficeret, sed & Spiritus Divinus Christi meritum, & sufficientia media illud fiducialiter apprehendendi omnibus offert; utqve illi, qvi extra Ecclesiæ pomœria constituti sunt, inexcusabiles reddantur, nihilq; habeant, qvod

malitiæ

malitiæ ſuæ poſſint prætendere, principia qvædam tam theoretica, qvam practica mentibus ac cordibus omnium naturaliter ſunt inſculpta, qvæ ſi per ratiocinationem, & accuratam rerum creatarum contemplationem excolantur, incentivum ſint, & χειραγωγία ad ulteriorem Dei cognitionem, in Verbo propoſitam, ut & ad inqvirendum de illo cœtu, in qvo verus Deus recte & ſalutariter colatur. Actor. XVII. 27. Rom. I. 18 23. II. 12 18. Qvoniam itaqve Deus Pater omnes ac ſingulos ad imaginem Divinam creavit, Deus Filius omnes ac ſingulos à peccatorum culpa atqve pœna liberavit, & Deus Spiritus S. omnes ac ſingulos ad Regnum Dei ſerio vocat, ut fiant Filii Dei, æternæqve vitæ Candidati, qvare non unusqvisqve hominum, tanqvam proximus noſter a nobis eſſet habendus atqve amandus? Eſto, unum aut alterum eorum, vel ex ignorantia & infirmitate, vel ex proæreſi atqve malitia, variis modis nos offendere; eo ipſo tamen non deſinit eſſe proximus noſter, ſed noſtrarum potius partium eſt, communem exinde & æqvalem naturæ noſtræ corruptionem atqve depravationem agnoſcere. Accedit, qvod qvilibet homo ſit ζῶον πολιτικὸν, & membrum Societatis Humanæ, qvæ ſine Amoris atqve Concordiæ vinculo conſiſtere neqvit, cujusqve fundamentalis Lex eſt: *cuilibet homini, qvantum in ſe eſt, colendam & conſervandam eſſe pacificam adverſus alios ſocialitatem, indoli & ſcopo generis humani in univerſum congruentem, omniaqve qvæ eandem turbant, aut abrumpunt, vetita intelligi.* Vid. *Pufend. L. II. de I. N. & G. c. 3. §. 15 p. 209.* Qvum enim in homine ſumma imbecillitas atqve indigentia deprehendatur, ut, ſi homo ſolus absqve ullo auxilio, per alios homines accedente, in hoc orbe deſtitutus concipiatur, vita ipſi acerba videri poſſit: hinc manifeſtum eſt, poſt Divinum Numen, homini non plus ſubſidii atqve ſolatii poſſe accedere, qvam ab aliis hominibus. Et qvamvis ſingulorum vires ad ſe ipſos conſervandos tam tenues ſint, ut multarum rerum & hominum ſubſidio ad bene & commode vivendum indigeant, qvum ad pleraqve opera, hominibus utiliſſima & ſumme neceſſaria, efficienda ſingulos, & vires, & tempus defecturum

ſit, ni plures hominum operas conjunxerint: attamen viciſſim ſinguli in aliorum uſus multa valent præſtare, qvibus ipſi non egent, & qvæ adeo ipſis nulli erant futura uſui, niſi in alios diſpenſarentur homines. Multa multorum teſtimonia non eſt qvod congeramus: duobus erimus contenti. Prius eſt illud *Senecæ, Epiſt. 95. Membra ſumus corporis magni: Natura nos cognatos edidit, & amorem nobis indidit mutuum: illa nos ſociabiles fecit: illa æqvum juſtumqve compoſuit: ex illius conſtitutione miſerius eſt, nocere, qvam lædi & illius imperio paratæ ſunt manus ad juvandum: iſte verſus & in pectore, & in ore ſit: homo ſum, humani nihil à me alienum puto: habeamus in commune, qvod nati ſumus.* Poſterius eſt *B. Auguſt.* qvi *L. XII. de C. D* rationem perſcrutaturus, cur Deus innumera Angelicæ Naturæ individua produxerit, animalia qvoqve in copioſo numero, ſpecierumq; varietate crearit, cum tamen ex hominibus unum condiderit Adamum: *unum*, inqvit, *ac ſingulum creavit, non utiq; ſolum ſine humana ſocietate deſerendum, ſed ut eo modo vehementius commendaretur ipſius ſocietatis unitas, vinculumq; concordiæ, ſi non tantum inter ſe naturæ ſimilitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur, qvando nec ipſam fœminam, copulandam viro, ſicut ipſum, creare Illi placuit, ſed ex ipſo, ut omne ex uno homine diffunderetur genus humanum.* Conf. Act. XXVI. 26. Sunt & aliæ rationes, qvæ ad æqvalitatem iſtam meditandam atqve illuſtrandam non parum faciant. Sic nos omnes anima rationali, qvæ eſſentia ſpiritualis eſt, & per traducem propagatur, gaudemus: qvanqvam non neceſſe habemus, ſententiam Averrois amplecti, ſtatuentis, in omnibus hominibus, qvi ſunt, vel fuerunt, vel erunt, eſſe unam numero animam. Conf. *Thom. L. II. cont. gent.* & *Scheibl. P. II. de Anim. Rat. Diſp. XII. §. 19. 20. p. 85.* Sic ex eadem materia corpuſcula noſtra conſtant fragilia, & per multiplices modos deſtrui apta: eodem modo propagamur: eodem modo intra materni latebras uteri coaleſcimus, nec alia porta nobilis in dias luminis auras prodit, qvam plebejus aliqvis: eodem modo nutrimur & adoleſcimus. Sic identidem à Sapientibus inculcatur, qvod variis caſibus, Fortunæqve ludibrio omnes ſimus obnoxii, vel potius, qvod nemini

Deus

Deus de ſtabili & inconcuſſa felicitate,& conſervatione præſentis ſtatus caverit,ſed pro occulto Providentiæ ſuæ conſilio diverſos per diverſa caſuum genera raptet. Sir. XVIII. Sic ad eandem metam omnes properamus,& mors æqvo pede pulſat pauperum tabernas, Regumqve turres: unde Lucianus: ἰσονομία ἐνταῦθα καὶ ὅμοιοι ἅπαντες.

§. VI.

Tametſi vero qvilibet hominum,ne uno qvidem excepto, proximus noſter eſt, ſive ſit indigena, ſive extraneus, ſive pius, ſive impius, ſive nobis favens, ſive à nobis alienatus, ſive ſuperior, ſive par, ſive inferior, ſive mas, ſive fœmina, &c. negari tamen neqvit, alterum altero nobis eſſe propinqviorem, ita ut *proximum* diſtingvere liceat in *primo-proximum*, & *ſecundo-proximum*. De propinqvitate prima, & omnibus hominibus communi, jam egimus: reſtat, ut aliqvid addamus de propinqvitate ſecunda & ſpeciali, qvæ rurſum diſpeſcitur juxta triplicem Statum ſeu Vitam, *Naturalem* ſc. *Civilem*, & *Spiritualem*. Iſtius ſtatus vel vitæ reſpectu, omnibus aliis priores atqve propiores ſunt maritus & uxor, parentes & liberi, fratres & ſorores &c. Illius reſpectu, in Societate Oeconomica propiores ſunt ſervi Dominis, & vice verſa: in Societate Scholaſtica Diſcipuli Magiſtris, & vice verſa: in Societate Politica ſubditi Magiſtratibus, & vice verſa, ad hæc concives & Collegæ unius Collegii ſibi mutuo &c. Hujus reſpectu, propiores ſunt fideles & pii Paſtoribus ſuis, & vice verſa, adhæc Chriſtianæ Religionis ſocii ſibi mutuo. Inter hos omnes, ſi officio ſuo facere veſint ſatis, *Amicitia* intercedat oportet, qvæ *eſt Amor benevolentiæ mutuæ non latentis, in peculiari qvadam communione & conſociatione fundatus*. Vid. *Thom. II. 2. qvæſt. 23. a. 1.* Per Amicitiam vero non intelligimus qvamvis proclivitatem ad jungendas ſocietates particulares, qvæ etiam malo fine, & modo iniri poſſunt, qvaſi ſufficiat, qvalicunqve intentione ſeſe cum altero conjunxiſſe. Sic Catilina animum adjecerat ad Remp. per fraudem & ſcelus occupandam, temporisqve opportunitatem nactus,cum nobiliſſimis Adoleſcentibus,qvos vel opum, vel di-

gnitatum ſpes ad res novandas accendebat, ut fuere P. Antonius, L. Caſſius, Cn. Piſo, C. Mallius, D. Brutus, & alii, de trucidandis Coſſ. & Rep. occupanda conjuraverat. *Sabell. L. V. Ennead. 6.* conf. Prov. I. 9-16. Sic ex *Epiph. hæres. 63.* conſtat, Coelibes qvosdam Clericos, cum aliis ſexus ſeqvioris perſonis, qvas domi ſub *Agapetarum* ſeu Dilectarum appellatione detinebant, illicite conſvescentes, nomine plus honeſto, qvam ejusmodi fœdæ rei conveniente, Ἀγαπητὰς eſſe vocatos. In qvam rem graviter invehitur *Hieron. Ep. 22. ad Euſtochium: Unde in Eccleſias Agapetarum peſtis introiit? unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus? plus inferam, unde Meretrices?* Erant igitur *Agapetæ* virgines aut viduæ, qvæ ſpecie cœlibatus, ac virginitatis nuptiis nuntium remittebant, & cum Clericis in eadem domo habitabant, ac ne qva pravi conſortii ſuſpicio eſſet, ſeſe invicem *Dilectos, ac Dilectas*, vel etiam *Fratres, & Sorores* appellabant. Conf. *Spicerus Obſerv. Sacr. c. 12. p. 300. & Car. du Freſne Gloſſar. P. I. p. 105.* Longiſſime abſint ejusmodi amicitiæ utiles, atqve jucundæ, qvæ Honeſtatis legibus fraudem faciunt, & non niſi ex ſimilitudine nomen Amicitiæ mentiuntur, ſola remanente Amicitia honeſta, qvippe qvæ vera benevolentia conſtat, omniumqve præſtantiſſima eſt, qvandoqvidem eam voluptas qvoqve, & commodum, licet primario non intendantur, ultro ſeqvuntur. Illæ ſunt admodum inſtabiles, qvia, expirante voluptate, atqve commodo, etiam amicitiæ jucundæ, atqve utiles expirant, qviqve illas inierunt, non ſui mutuo fuerunt amici, ſed ſuæ tantum voluptatis atqve utilitatis. Hæc e contrario ſemper firmo ſtat talo, qvum virtus Bonum ſtabile ſit, nec non inter perſonas, ſe invicem honeſte amantes, conſtans deprehendatur officiorum permutatio, qvæ qvidem in Amicitia æqvali inſtituitur juxta proportionem Arithmeticam, ut Amor, & omnia ſint paria, in inæqvali juxta Geometricam, ita ut, excepto Amore, non omnia ſint paria, ſed perſona inferior id, qvod in lucro non poteſt, in honore & labore reddat. Qvemadmodum autem inter metalla eminet aurum, inter elementa ignis, inter Planetas Sol: ita inter

omnes

omnes Amicitias, etiam honeſtas, eminet atqve præcellit Amicitia Chriſtiana & Spiritualis Fidelium, qvi licet per totum orbem hic illic ſint diſperſi, tamen de doctrina Evangelii conſentiunt eundem habent Chriſtum, eundem Spiritum S. eadem Sacramenta, eandem fidem, eandem Religionem incoruptam, eandem ſpem vitæ æternæ, adeo ut vinculo Spiritus arctiſſime ſint conſociati. Gal. III. 26 29. Eph. IV. 2 17. Col. III. 14. Qvo etiam collimat illud Chriſti, Joh. XVII. 21. 22. 23. Sane homines, ex uno eodemqve regno oriundi, plus ſe invicem diligunt, qvam aliorum dominiorum incolas, magisqve inter ſe uniti, & concordes degunt propter legum, & morum convenientiam; ac proinde ut pacifice inter ſe invicem viverent Chriſtiani, eos omnes Chriſtus per ſangvinem ſuum redemit, fecitqve unius ejusdemqve Regni poſſeſſores? Apoc. III. 9. Imo qvia longe impenſius ſeſe unius ejusdemqve Civitatis incolæ & cives diligere ſolent, qvam qvi vaſti alicujus regni ſunt conſortes; ideo illos inſuper cives Sanctorum declaravit: Eph. II. 9. Et qvia amor multo intenſior cernitur inter eos, qvi ad unam eandemq; familiam pertinent; ideo illos qvoqve in familiam ſuam cooptavit: *ibid:* Aſt qvia non nunqvam inter domeſticos rixæ & diſcordiæ ſuboriuntur; ideo illos non dedignatus eſt appellare fratres ſuos & filios: Rom. VIII. 29. Hebr. II. 11. Deniqve qvia etiam fratres aliqvando inter ſe invicem litibus & ſimultatibus dividuntur; ideo illos, veluti membra unius ejusdemqve Corporis, cujus Ipſe Caput, unire, uno eodemqve Spiritu vivificare, uno eodemqve cibo alere, & uno eodemqve calice potare cupit, *ut ne ſit ſchisma in corpore, ſed membra idem curent alia pro aliis: itaqve ſive patitur unum membrum, ſimul dolent omnia membra, ſive honore afficitur unum membrum, ſimul gaudent omnia membra.* 1. Cor. XII 4-27. Atqve ejusmodi Amicitiam viguiſſe inter primos fideles N. T. Ap. Lucas teſtis eſt Act. IV. 37.

## §. VII.

Ex hiſce dictis elucceſcit, modum Amoris, qvo proximũ proſeqvimur, conſiderari poſſe vel abſolute & in ſe, ſive indifferenter circa qvemvis proximũ, vel comparate, comparando proximũ cũ pro-

proximo, qvi ordo & gradus Amoris vocatur. Unusqvisq; enim, in se ipsum descendens, deprehendet, se, pro diversitate respectuum, altero alterum plus ac magis amare. Ubi observandum, qvod magis seu plus amare aliqvem, juxta qvorundam sententiam, tribus modis intelligi qveat, *Objective* sc. *Appretiative*, & *Intensive*. Objective magis diligimus eum, cui majus bonum volumus: Sic magis diligimus concivem, qvam extraneum, sangvinis nexu nobis conjunctum, qvam nulla necessitudine nos attingentem. Appretiative magis diligimus eum, pro cujus vitanda offensione, alterius potius indignationem subimus, aut cui malumus non deesse suum bonum, qvam alteri: atq; hoc provenit ex qvadam magis dilecti superioritate & eminentia. Intensive magis diligimus eum, cujus amorem in summis deliciis habemus: Sic parentes tenerius diligunt filios juniores intensive, qvamvis plerumqve primogenitum plus diligant objective, & appretiative, utpote qvi malint illos, qvam istum amittere, cui etiam majorem volunt hæreditatem: unde nonnulli duos priores modos coincidere putant, ita ut, qvicqvid appretiative magis ametur, etiam objective magis diligi videatur. Conf. *Malder. ad Thom. II. 2. qv. 26. a. 2. Bonaventura ad IV. Dist. 16. a. 4.* nec non *Cornel. à Lap.* cum aliis Pontificiis, licet male, id applicans ad Amorem erga Deum, *Comment. in Deut. VI. 5. pag. 950.* Spectant huc qvæstiones Thomæ & Scholasticorum ad *Thom. l. c.* an magis diligendi meliores, qvam cognatiores? an sit magis diligendus, qvi est magis conjunctus secundum originem carnalem? an homo magis debeat diligere filium, qvam patrem, matrem, qvam patrem, uxorem, qvam parentes? an in casu necessitatis, qvando duobus non valeo succurrere, tenear succurrere magis conjuncto? & qvis hic & nunc sit magis conjunctus? ubi *Thomas* septem regulas tradit, sed qvæ difficultatibus, dubiis & exceptionibus non carent. Optimum nobis factu videtur, si inter *Amoris gradum Positivum*, *Comparativum*, & *Superlativum* distingvamus, prementes in eo vestigia *B. Augustini*, qvi *L. I. doctr. Chr. cap. 27.* scribit: *Hic rerum integer æstimator est, qvi ordinatam dilectionem habet, ne aut amplius diligat, qvod minus est diligendum, aut æqve diligat,*

*diligat, qvod vel minus, vel amplius diligendum, aut minus, vel amplius, qvod æqve diligendum.* Superlativus igitur Amoris gradus est, qvando voluntate & mente intime Amici inter se uniuntur, qvod Scriptura S. conglutinare animam cum anima Amici vocat 1. Sam. XVIII. 3. Ita se invicem diligebant *David & Jonathas*, qvi vel ex nominum omine purissimum illud Anagramma: *Hodie unitas data:* verissimum esse, comprobarunt. Nam Charitas nihil aliud est, qvam chara unitas; qvemadmodum Dilectio qvasi duorum ligatio. Conf. *Bidemb. in h. l. & Dietericus in Eccles. IX p. 421.* Qvicunqve ita inter se uniuntur, ad eum modum se habent, ut Amicus de Amico dicat: *Est alter ego:* & qvicqvid uni accidit laudis aut ignominiæ, damni aut lucri, doloris aut gaudii, periculi aut felicitatis, id alteri qvoqve obtingere videatur. Qvod ipsum *Gregorius*, patria *Nazianzenus*, de Dilectione sua & *Basilii M.* erga se invicem testatur: *Abeunt*, inqvit, *invidia, sola æmulatione flagrabamus. Hoc utiqve certamen, non uter primas ferret, sed uter alteri primas cederet: uterqve enim alterius gloriam suam ducebat: una utiqve anima videbatur, duo corpora ferens. Qvod si minor fides iis habenda, qvi omnia in omnibus posita esse ducunt, qvod dicebant Empedocles & Anaxagoras: at nobis certe credendum est, qvod uterqve in altero, & apud alterum positi eramus.* Vid. *Byerlinck Theatr. V. H Tit. Amor pag. 348.* Describitur autem ejusmodi Amor, Eph. IV. 3. 4. & solet etiam appellari ἡ φιλαδελφία, strictè sic dicta, Rom. XII. 10. Ebr. XIII. 1. Conf. Rom. XVI. 4. 5. 1. Cor. X. 14. Gal. IV. 14. 15. Phil. I. 9. 1. Joh. IV. 7. Ad istum gradum neutiqvam ascendit Dilectio inimici. Nam si inimicus est, non possumus illo modo, ratione affectuum, cum eo uniri, qvum sit contradictio in adjecto. Qvod ad Comparativum gradum attinet, ne qvidem secundum illum diligere possumus inimicum, sicut consangvineum, aut extraneum, sicut domesticum. 1. Tim. V. 8. Ubi præterea observandum, qvod radicaliter in natura actu primo prævaleat στοργή: in θέσει vero, usu & actu secundo sæpenumero voluntaria Amicitia. Sic Tullia Tarqvinium maritum præfert fratri, Rosemunda Patrem Alboino marito, Antigone,

Sophoclem fratrem marito, liberisqve. Conf. *Danh. Lact. Catech. P. I. p. 58.* Etiam in diligendis inimicis gradus invenit *Origenes Homil. 3. in Cantic.* *Puto, qvod in his sit ordo Charitatis, verbi gratia est aliqvis mihi inimicus, in aliis tamen bene agens, pudicus, sobrius, mandata plurima Dei ex parte custodiens, in aliqvibus tamen errans, ut homo; est alius, qvi inimicus qvidem sit & ipse nobis, tamen sit suæ vitæ atqve animæ inimicus, paratus ad scelera, præceps ad flagitia, nihil sancti, nihil religiosi ducens: non tibi videtur, etiam inter ipsos inimicos qvædam diversitas habenda Charitatis?* Ita ille, Qvod Positivum gradum concernit, nemo excludendus est, sive sit nostræ Religionis consors, sive diversorum Sacrorum, sive indigena, sive extraneus. 2. Petr. I. 7. Adest enim Supremi Numinis mandatum (ἀγαπήσεις) homines ad unum omnes non minus in V. qvam T. Test. obligans. Respectu hujus mandari Casuistæ triplicem constituunt *Amorem*, *Naturalem* sc. *Moralem* & *Supernaturalem.* Amor naturalis est, qvo amamus proximum, qvod consangvineus sit, vel Sympatriota, vel ob similem respectum naturalem. Et qvidem hujus generis amor ex mente Casuistarum cadit etiam in bruta animantia, qvia omne animal amat sibi simile. Sir. XIII. 10. Conf. *Danh. Deuteron p. 610. seqq.* Amor moralis est, qvo amamus aliqvem propter eximias Virtutes, præsertim si iisdem paria nobiscum facit. De Damone & Pythia, Pomponio & Lectorio, Servio Terentio & D. Bruto vid. *Val. M. L. IV. cap. 7.* Amor supernaturalis est, qvo proximum amamus propter Deum, Ejusqve mandatum, ita ut Deus diligatur, tanqvam terminus ad qvem, proximus vero propter bonitatem, à Deo participatam, tanqvam id, per qvod Deus diligatur: de qvo Amore unice hic agitur, qvia non de Virtutibus Moralibus, sed Theologicis, & ad hominem spiritualem formandum tendentibus, sermo est: qvod ipsum *Cajetanus qvæst. 25. a. 18. Navarrus Man c. 14. n. 25.* aliiqve Moralistæ Pontificii negant, asserentes, in aliqvibus casibus sufficere amorem naturalem, nec reqviri supernaturalem. Vid. *Osiand. Theol. Cas. pag. 1189.* Differunt autem hæ species Amoris non semper materialiter, qvia concur-

rere

rere possunt omnes respectus in una eademqve persona. Luculentum exemplum habetur Gen. XXXVII. in Josepho, qvem diligebat Parens Dilectione tum naturali, qvatenus eum, ut filium, & qvidem è conjuge dilectissima susceptum, complectebatur, tum morali, qvia mores Josephi erant eximii, isqve Virtutibus præstabat fratribus omnibus, tum supernaturali, qvia revelationem singularem, in somniis factam, attendebat. Manifestum ergo est, Amorem proximi, h. l. in *Positivo* minimum gradu mandatum, non esse ordinis communis, sed eminentis, qvia postulat facultates, inclinationes, & actus, non prout ex corrupto fonte sunt contaminati, sed puros, sinceros & illimes, adeoqve supra naturæ corruptæ vires eminentes imperat fructus Spiritus, non carnis. Gal. V. 22. De Amore & Amicitia ordinis communis etiam in Scholis Gentilium fuit actum, & præcepta moralia, à Platone, Aristotele, Cicerone, Epicteto, Seneca, aliisqve Viris cordatis copiose tradita, extant. Sic Secta Pythagoræ, omnes homines Charitate complectendos esse, statuit, qvemadmodum hæc ubertim memoriæ prodita sunt ab *Jamblichio*, & *Hierocle*, disertis Pythagoricorum dogmatum Interpretibus. Sanxit enim Pythagoras omnium Amicitiam erga omnes, sed non ad eundem modum, eo qvod plures Amicitiæ gradus essent, qvos elganti plurium circulorum, circa idem centrum descriptorum, comparatione distinxit, & aliter diligendos alienigenas, aliter cives, aliter domesticos, aliter bonos, aliter malos, hos propter naturam, illos propter naturam & sententiam, docuit. Vid. *Petri Dan. Huetii Alnet. Qvæst. de Concordia Rationis & Fidei l. III. c. 17. p. 413. seqq.* Ast enimvero ejusmodi Ethnicorũ Dilectio, qvam vera fides non operatur, tanqvam fructus malæ arboris, à Deo pro peccato & immunditia reputatur, qvia impossibile est, absq; fide Deo placere, & qvicqvid non provenit ex fide, peccatum est: Rom. XIV. 23. Ebr. XI. 6. Christiana contra Dilectio, ceu fidei effectus, & fructus Spiritus, Deo valde grata atqve accepta est, qvia, placente persona, illius qvoqve opera placent. Isti Gentiles magis qværunt ambitiose encomium: Nos Christiani contra Deo præstamus devote obseqvium.

§. VIII.

Atqve hic Dilectionis modus per particulam ὡς *ſicut*, qvæ probe attendenda eſt, in Textu Noſtro exprimitur. Non dicitur: amabis proximum tuum *ſupra te ipſum*; Deum enim plus, qvam nos ipſos diligere debemus, non autem proximum in eodem bonorum genere. Nec dicitur: amabis proximum tuum *infra te ipſum*; hoc enim debemus beſtiis, & infra dignitatem eſſentiæ humanæ poſitis, proximus autem in æqvali nobiscum gradu conſtituitur. Nec dicitur: amabis proximum tuum *propter te ipſum*; proximum enim propter nos ipſos diligere, nihil aliud eſt, qvam diligere nos ipſos, qvemadmodum diligere proximum propter Deum, eſt, Deum diligere. Nec dicitur: amabis proximum tuum *propter ipſum*, ſc. proximum: principalis enim & ſumma Dilectionis, proximo debitæ, cauſa non eſt proximus, ſed Deus, propter qvem proximus diligendus, qvia Dilectionem proximi Ipſe mandavit. Dicitur ergo tandem: amabis proximum tuum *ſicut te ipſum*. Ubi τὸ ὡς, *ſicut*, non ſignificat æqvalitatem in qvantitate, gradu & ordine: (Charitas enim ordinata incipit à ſe ipſa; alioqvin illud Apoſtoli, 2. Cor. VIII. 13. locum habebit) ſed ſaltem indicat ſimilitudinem: qvemadmodum τὸ ſicut accipitur Deut. XVIII. 15. Jeſ. I. 26. Luc. VI. 36. Joh. XVII. 21. 22. Vid *Elac. Cl. Script. p. 1135.* Digitum illo intendimus, qvando in Diſſertationis rubrica ſui ipſius Amorem vocamus Amoris proximi exemplar, qvum exemplar, definiente *Nonio F ſto, ſit illud, ex qvo, & ad qvod, ſimile qvid efficere molimur.* Aliis in locis S. Scripturæ, ſi diſcedimus à brutis animantibus, in qvibus ſaltem ſimulacra Virtutum reperiuntur, & ideo, qvicqvid in iis ad contemplationem, atqve imitationem monſtratur, aut objicitur, non niſi analogice exemplum morale dicitur, Prov. VI. 6. 7. 8. XXX. 24. Jer. VIII. 7. tum Deus, tum Angeli boni, tum cæteri homines, Pietatis ſtudio dediti, velut exempla in medium producuntur. Sic attributa Divina communicabilia, qvatenus creaturæ rationali libere à Deo revelantur, ut Amor, Juſtitia, Clementia, Veracitas, Miſericordia, Longanimitas, & qvæcunqve ſub notione Virtutum concipiuntur,

imitanda

imitanda nobis proponuntur: atqve hujus exemplaris intuitu homo ad imaginem Dei creatus & renovatus appellatur. Gen. I.26.27. Eph. IV 24. V.1. Col. III.10. 1 Joh IV.7. 8. Sic opera Dei externa tam communia, qvam ſpecialia nobis, ſecundum generalia inde extracta, deprædicantur imitanda: Matt. V. 44. 45 non ſecus atq; opera δικαιώματα Chriſti Redemtoris. Rom. VI.4. Eph. V. 2. Phil. III. 10. 1.Pet. II. 21-24. Sic bonorum Angelorum exempla oculis, animisqve noſtris ſubjiciuntur. Pſ. CIII. 20. Luc. XV. 7. 10. Sic hominum actiones tum internæ, tum externæ Virtutum Theologicarum, per revelationem vel Divinam, vel humanam, i. e. per ſigna & opera, innoteſcentes, tanqvam exempla nobis ſiſtuntur. Matth. V. 11. VII. 20. Ebr. XI. 4-40. 1. Petr. II. 12. III. 12. Jac. I. 27. II. 14-26. Hic vero peculiare qvid obſervare datur, dum propria unicuiqve Conſcientia in exemplar, attente imitandum, proponitur, adeo ut unusqvisqve, domeſticum hunc Præceptorem conſulens, de facili poſſit animadvertere, qvomodo Amor proximi debeat eſſe comparatus, ſi ad Amorem ſui ipſius, tanqvam exemplar, illum velit exprimere. Qvam ipſam Conſcientiæ regulam præter *Nazianz. de Pace*, *Chryſoſt. de Eleemoſynis*, *Gregor. L. X Moral. cap. 6.* & alios egregie perpolivit *B. Lutherus T. IV. Witteb pag. 86 ſeqq.* unde verba ejus germanica, & lectu digniſſima, à *Joh. Conr. Danh. in Deuter. p. 565. 566. 567.* ordine recenſentur. Qvemadmodum enim homo ἑαυτόφιλος ſe ipſum propter Deum, id eſt, propter Dei mandatum, & juxta Dei voluntatem diligit ita, ut bonum appetat, & malum fugiat, tum affectu, tum effectu: pari qvoqve ratione in Amore erga proximum ſuum gerere ſe debet; adeo ut particula ὡς ſeu *ſicut*, in hoc mandato, & *finem*, & *materiam*, & *formam* determinet. Vid. *Thom. II. 2. qv. 26. a 4* & *Dionys. Carthus. in h. l.* Qvocirca modo laudatus *Danh. in Hodoſoph. p. 515.* πλησιοφιλίαν recte definit, qvod *ſit affectus & virtus, qva homo, propter Deum, proximum ſuum* τὸν τυχόντα, *ſui indigum, qvacunqve alias ſorte præditus ſit, æqve cordialiter, promte gratuito, ardenter, conſtanter, legitime, & juſte, tanqvam ſemet ipſum diligit, ei bene vult, & favet, qvin & illum tolerat, ſolatur, emendat, promovet, honorat, de ipſo credit, ſperat, gaudet,*

*gaudet, huncqve affectum gestibus, verbis, operibus testatur.* Confer. 1. Cor. XIII. 4-8. Pertinet huc, emphasin particulæ & pulchre admodum exprimens, Regula, ex Naturæ lumine nota, & à Christo repetita: *Omnia qvæcunqve volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis.* Matth. VII. 12. Luc. VI. 31. Conf. Tob. IV. 16. Hoc etenim Summarium, qvod *Chrysost. super Matthæum, August. de Sermone Domini, Bernh. de triplici genere bonorum*, aliiqve eleganter illustrarunt, in universali continet omnia Charitatis officia, proximo exhibenda, ita tamen, ut voluntas nostra non prima sit, sed orta, qvum ea debeat aliunde corrigi atq; perfici. Hinc apparet, qvod non valeat regula, si supponatur diversus personarum status, aut actio laboret vitio, sed tantum, si status per reciprocam inversionem concipiatur, nec Justitiæ & Pietatis debito qvicqvam decedat. Empectæ, regulæ hujus vim elidere conantes, instantias qvasdam in numerato habent, v.g. volo, ut mihi sutor calceos conficiat: volo, ut famulus meus mihi calceos abstergat: nunc si regula illa catholica est, teneor & ego sutori calceos parare, & famulo calceos abstergere. Ast enimvero objectiones istæ nullius plane sunt pretii atq; momenti. Nam hoc modo valet regula: si illæ personæ essent meo, & ego illarum loco, tunc omnino tenerer ad conficiendos, aut repurgandos calceos. Abusus itidem regulæ est, qvando, qvi regulam hanc impugnant, ita colligunt: *Qvod tibi vis fieri, alteri qvoqve feceris, & contra:* ergo Judex latronem convictum non debet punire, qvia ipse non vult puniri: Ego, si virgo essem formosa, vellem me præbere adstuprum: ergo & te mihi prædebis: Ego si tui loco essem, vellem propinanti totum vini cantharum ἀπνευστὶ exhaurire: ergo & tu mihi propinanti. Oportet enim voluntatem esse sanam, regulatam, & inordinato sui amore, pravisq; desideriis non infectam: Inverti debent personæ non abjecta, sed retenta Justitiæ & Pietatis norma; atqve sic de veritate regulæ dubitare non licet. Romanorum Imperatori *Alexandro Severo Lampridius*, qvi vitam ejus descripsit, singulari laudi tribuit, qvod hancce paroemiam in tam summo pretio habuerit, ut istam non tantum palatiis ac publicis ædificiis præscribi, sed etiam

qvoties

qvoties è tribunali ſententiam eſſet laturus, per Præconem proclamari curarit: *Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nec minori laudis encomio mactantur Brachmanes Indi, e qvorum poſteris, qvi ſtrictius & ſeverius amplexi ſunt vitæ genus, uno hoc præcepto Religionem ſuam concludunt: *Sic agendum cum aliis, uti nobiscum alios agere volumus.* In eodem præcepto doctrinæ ſuæ radices poſuit *Confutius*; unde tam conſtans inter Sinas, finitimasqve gentes enata eſt Concordia, ut tota gens una familia videretur: qvemadmodum nec hodie ullum aliud ſanctius præceptum Sinis eſt. Vid. *Huet. Alnet. qvæſt. L. III. c. 17. p. 414.* Qvod ipſum cum faciant Gentiles, qvidni *nobis Chriſtianis hæc ſententia eligenda, & ſuperſcribenda cordibus noſtris, qvæ ad totius Juſtitiæ breviarium Dominico ore profertur? Ad omnem igitur actum, cogitatum, verbum hæc ſententia, Amabis proximum ut te ipſum, retractetur, qvæ nobis, qvaſi ſpeculum qvoddam paratum, & ad manum ſemper poſitum, qvalitatem noſtræ voluntatis oſtendat, ac etiam vel de injuſto opere redarguat, vel de juſto lætificet,* ut ſcribit, *Hieron. in Epiſt. ad Celant.*

## §. IX.

Sponte ſua hic ſeſe offert illa qvæſtio, num in qvibusdam caſibus liceat proximum, non tantum ut ſe ipſum, ſed etiam magis ac plus, qvam ſe ipſum, amare? Ad qvam qvæſtionem eo melius determinandam, notari meretur, qvod vel eadem, vel diverſa bona, qvæ iterum aut ſpiritualia & æterna, aut corporalia & temporalia ſunt, utrinqve ſupponantur. Qvod ſi ſupponantur bona ſpiritualia, neceſſaria ad ultimum finem, adeoq; etiam qvantum ad immunitatem à peccato, non debeo iis ſalutem proximi, aut communitatis præferre; qvum hac ratione proximum non tantum plus, qvam me ipſum, ſed & plus, qvam Deum, ſupra omnia diligendum, diligerem; qvin imo & proximum offenderem, qvi ex Dilectione ordinata non poteſt velle, mediante peccato & cum ſalutis meæ periculo aliqvod ſibi fieri levamen, Matt. XVI. 26. a qva ſententia receſſit temere *Tannerus T. III. Theol. Schol. qv. 3. d. 3. n. 35.* Nullo etiam caſu licitum eſt, ob ſalutem proximi, aut communitatis ſpiritualem, abſoluta voluntate velle carere

gratia

gratia & Charitate Dei ad tempus, ſecluſa culpa peccati, ita ut ſubtractio illa gratiæ Dei non ſit actus vindicativus peccati noſtri, ſed qvaſi compenſativus vindiciarum Divinarum in alios exundaturarum: ut recte affirmarunt *Valentia qv 4. punct. 3. Cajetanus, Bannes, & Arragonius ad Th II 2. qv. 26. a. 4. contra Capreolum in III. diſt. 27. qvæſt. 1.* ſimpliciter adſtruentem, ſecluſo peccato, unumqvemqve teneri, bonum ſpirituale commune anteferre bono ſpirituali proprio, nec non unumqvemq; poſſe ac debere, ſi peccatum abeſſet, velle carere Beatitudine, ſiqvidem id neceſſarium foret ad bonum ſpirituale commune. Neqve enim præceptum Charitatis exigit ab homine, ut in ſe recipiat, qvod à proximo deſiderare neqvit, ſc. ſubtractionem gratiæ Divinæ: neqve etiam aliunde conſtat, eo usqve procedere nos debere pro ſalute proximi noſtri. Qvod ad Dilectionem Chriſti attinet, qva Ipſe, cum receptione dolorum infernalium, & deſertionis Divinæ paſſione, univerſum genus humanum amavit, ea hoc actu plane extraordinaria fuit, & peculiariſſimæ diſpenſationis, neqve ex communi Charitatis præcepto, ad qvod nos obligamur, & in cujus obſervatione Chriſtum imitari debemus. Illud qvidem fidenter aſſerit *Tannerus l. c. n 56.* licitum eſſe, habere voluntatem conditionatam carendi gratia Dei, ſi hoc Deo placeret, qvum talis adjecta conditio purget hujus actus malitiam, ſitqve ſimul ejusmodi affectus ſignum animi. Deo plane ſubjecti, nec in illis bonis creatis, qva præciſe hominis bona ſunt, ultimate acqviescentis. Aſt enimvero rectius adſtruitur, ne conditionatam qvidem voluntatem carendi gratia, ob ſalutem proximi, Deo probari, qvia ordo divinitus eſt monſtratus non ad ſuſpenſionem, aut internecionem gratiæ Divinæ, ſed potius ad ſtudium in gratia Dei perſeverandi, adeoq; hic affectus non ſignum eſt animi, Deo plane ſubjecti, qvum talis ſubjectio a Deo ordinarie non reqviratur, neqve animi in nullis bonis creatis, qva præciſe hominis bona ſunt, ultimate conqvieſcentis, qvum illa bona ordinarie connexa ſint cum Summo Bono. Notanter dicitur *ordinarie*, qvia Deum *extraordinario modo* in Sanctis ſuis exceſſivum, & plane heroicum Charitatis fervorem

exci-

excitare posse, qvo citra respectum ad propriam culpam, aliqvamdiu careant fruitione qvasi evidenti gratiæ Dei, & de Divino alio auxilio certi, in tantum aliqvamdiu carere velint illa, sub conditione, docet suo exemplo Apost. Paulus Rom. IX. 3. inqviens: Ἠυχόμην αὐτὸς ἐγὼ ἀπὸ τȣ̃ χριστȣ̃ ἀνάθεμα εἶναι. Qvamvis sint, qvi dicant, Paulum optasse anathema fieri, i. e. execrandam mortem subire; qvemadmodum anathematum ratio videri potest ex Lev. XXVII. 29. Deut. XIII. 15. XX. 17. 23. Jos. VI. 7. 2. Sam. XXI. 6. Conf. *Dorsch. Theol. Mor. Præc. III. §. 244. pag. 83.* Illud tamen haud inviti largimur, bona spiritualia, qvæ præcise non sunt necessaria ad permanentiam in statu gratiæ, vel consecutionem status gloriæ, ut continuum in orando, & animum in Deum elevando, exercitium, matura ex hac miseriarum valle solutio, & in patriam cœlestem translatio, majora per studia & lucubrationes Sapientiæ cœlestis incrementa &c. posse ac nonnunqvam debere ac Amore in proximum, ob ejus, aut totius communitatis commodum, non optari aut postponi ab eo, qvi Pietatis atq; Justitiæ exercitio strenuam navat operam. Qvum enim homo sibi præcipue necessaria ad salutem velle debeat, post ea incrementa in spiritualibus, non potest sibi prius incrementa velle, ubi videt proximo & communitati deesse necessaria, qvæ ipse per officii rationem tenetur præstare; adeoqve in illo casu proximum non amat supra seipsum. Conf. Phil. I. 23. 24. 2. Cor. XII. 13. seqq. Multo magis in extrema proximi necessitate spirituali, si spes sit certa illum juvandi, nec aliunde gravius incommodum ex subventione timeatur, unusqvisqve, si proximus aliter juvari non possit, debet etiam vitam pro eo exponere, 1. Joh. III. 16. Qvum enim proximum sicut nos ipsos amare debeamus, & ex ordinata Dilectione nostri, salutem animæ bono corporis præferamus, etiam in proximi Dilectione animam proximi, & qvæ ad salutem ejus spectant, non tantum dilectioni corporis proximi, sed etiam corporis absolute, adeoqve etiam nostri, a nobis par est anteponi. Spiritualem vero necessitatem appellamus, qvatenus ea contradistingvitur malitiæ. Nam qvando videmus proximum in malitia versari, non

tenemur vitam noſtram propter illum exponere. Sic non pugnat cum Amore proximi, invaſorem iniqvum & in malitia, imo extrema malitia conſtitutum, licet perpetuo damnandum, ſi ad conſervationem vitæ propriæ nullum aliud medium ſuperſit, occidere, qvia qvum debeamus proximum diligere ſicut nos ipſos, non poſſumus ex ordinata Charitate poſtulare à proximo, ut nobis, malitioſe infeſtantibus, ſi aliter effugere neqveat, potius permittat occiſionem ſui, qvam vitam noſtram adimat. Conf. *Oſiand. Theol. Caſ. p. 1199.* Aliter ſe res habet cum eo, qvi in extrema neceſſitate ſpirituali, & in certo æternæ damnationis periculo, à qvo ſe ipſum moraliter non poteſt eripere, conſtitutus eſt: *Ibi temporalem vitam ſuam pro æterna alterius non dubitabit Chriſtianus amittere*, ut inqvit *Aug. de mendacio c. 6.* Qvod ſi ſpecialis Vocatio acceſſerit, ut in Epiſcopis, & animarum Paſtoribus, non ſemper extrema ſpiritualis neceſſitas reqviritur, ſed etiam gravis ſufficit. Imminet autem neceſſitas ſeu periculum vel à perſecutoribus, qvando perſecutio oritur ad id, ut animæ ſeducantur, vel ab aliis difficultatibus, qvæ immediate corpus, mediate animam attingunt. Qvando periculum imminet a perſecutoribus, tunc perſecutio eſt vel mere perſonalis, & concernit certam perſonam, vel realis ſeu doctrinalis, qvæ concernit totam Eccleſiam. In priori caſu abire licet illi, adverſus qvem inſtituitur perſecutio. Sic non ſolum Chriſtus inſtruxit ſuos diſcipulos, Matt. X, 23. XXVI. 16. ſed etiam exempla ejusmodi fugæ habemus in Elia 1. Reg. XIX. 2. Paulo Act. IX, 25. Polycarpo, Athanaſio, &c. Verum qvod concernit perſecutionem realem, ibi diſtingvendum inter ſtatum periculi, & inter caſum exitii. Qvamdiu periculum impendet, non debet vocatus animarum Paſtor fugam capeſſere; aſt cum ſeqvitur exitium, & diſſipata eſt Eccleſia, tum deſinit ejus officium, & fit perſona privata, adeoqve cum reliqvis tuto poteſt aufugere. Qvando autem periculum imminet ab aliis difficultatibus, ut morbis contagioſis, lue peſtifera &c. tunc unusqvisqve Vocationis ſuæ rationem habeat, eo qvod Eccleſiæ conſvetudines hic varient. Ubi alii præſto ſunt, qvi vicarias operas in ſe ſuſceperunt, non tantum non neceſſe eſt, ſed vix licet,

licet, ingredi loca infecta, qvia illud officium alteri commissum est, & Ecclesiæ Ministrum decet, sanorum habere rationem. In Germaniæ nostræ oppidis compluribus moris est, ut, pestifera lue grassante, peculiares constituantur Ministri, qvi curam gerant eorum, qvi lue ista sunt infecti, die Pestilentz-Prediger / & hoc modo consulitur sanis, ne illo tempore ex aspectu Pastoris terrorem concipiant. Ubi ergo hæc consvetudo locum habet, ibi etiam hæc sententia valet; ubi vero alia est consvetudo, ibi necesse est, ut Pastor agenda agat, Joh. X. 11. 2. Cor. VI, 9. Adhæc in qvacunqve necessitate spirituali, etiam eousqve non gravi, qvivis tenetur proximo succurrere, si sibi non inde metuendum sit evidens dispendium; Matt. XVII. 5. 15. Eph IV. 25. 32. idqve vi ea, qva tenemur proximum amare sicut nos ipsos, nos autem ita amamus, ut velimus, qvoniam non satis semper scimus, qvorsum spiritualis necessitas evasura sit, ut maturo nobis remedio occurratur, ideoqve & nos idem faciamus proximo: qvin imo, si intemporali necessitate ad hoc tenemur, Ex. XXIII. 25. qvanto magis in spirituali. In bonis utrinqve temporalibus non solum spectandum, utrum eadem, an diversa bona supponantur, sed & utrum personæ, qvæ inter se comparantur, sint æqvales aut plane liberæ, suiqve juris, an inæqvales, aut intuitu officii, vel pacti, aut simili ratione obligatæ. Qvod si diversa supponantur bona, tunc persona æqvalis & privata majus bonum proximi debet præferre sui ipsius minori, nec non minori suo malo proximi majus malum redimere. Tenemur enim proximum diligere ut nosmet ipsos; qvia vero in Amore nostri bona præstantiora præponimus vilioribus, hinc idem qvoqve in Amore proximi nobis observandum. Sic neqve stupratorem pro defensione pudicitiæ, neqve pro defensione thalami, adulterum, ἐπαυτοφώρῳ deprehensum, neqve pro defensione honoris & existimationis, convitiatorem, & injuria afficientem, neq; pro defensione opum & facultatum, furem simplicem, & qvi simul vitæ non struit insidias, qvicqvid nonnulli in contrarium afferant, cuipiam privato licet vita privare. Nulla etenim est proportio inter hæc bona, præsertim cum proximus occidatur

in flagranti delicto, ubi ipsi pœnitentiæ tempus non relinqvitur, sed non minus secundum animam, qvam corpus perit. Conf. *Dorsch. Theol. Mor. Præc V. §. 741 752. p. 305. seqq. & Danh. Deuter. p. 697. seqq.* Qvod si bona sint eadem, & personæ æquales & plane liberæ, suiqve juris, tunc bonum proprium recte præfero alterius bonis in eodem ordine, qvia Charitas ordinata incipit a se ipsa. Sic licitum mihi erit, ad propriam vitam conservandam, injustum aggressorem, qvi nullam in me potestatem habet, adhibita moderatione inculpatæ tutelæ interficere, ad qvam reqviritur, ut fiat in continenti, & animo non ulciscendi, aut lædendi ex dolore illatæ injuriæ, sed tuendi me ipsum, & defendendi contra evidentissimum ac præsentissimum periculum, in qvod citra meam culpam incidi, qvodque cessante Magistratus officio, evitare neqveo, nisi vim vi repellere velim. Vid. *Sayri Clav. Reg. L. VII. c. 10 dub. 4. 5. 6. & Feurb. Anti-Ost. Disput. XXIV. th. 9. 10 11. pag. 354 seq. & Disp. XXV. th. 15-26 pag. 377 seqq.* Qvando vero bona sunt eadem, & personæ, qvæ inter se comparantur, inæqvales, (ut, si privatus comparetur cum persona regia, aut cum tota communitate) vel respectu officii, aut pacti, vel simili ratione obligatæ, tunc bona proximi aut communitatis omnino licet propriis anteferre. Spectare huc videtur votum Mosis, qvod alias oppido controversum est. Ex. XXXII. 31. seqq. Ibi enim pro tota communitate, ut pars illius verba facit. Sic in Germania nostra, qvando lues pestifera grassatur, illi, qvi ad id constituti sunt, & Medici, & Chirurgi tenentur etiam cum præsenti vitæ suæ periculo infectis succurrere. Sic historiarum, tum sacrarum, tum profanarum monumenta testantur, fuisse Parentes, qvi qvo liberis, uxores, qvæ pro maritis, subditos, qui pro Magistratu, cives, qvi pro Rep. &c. mortem oppetere ex Amoris abundantia non dubitarint Jud. V. 18. 1. Sam. XVII. 32. 2. Sam. XXI. 16. 17. Joh. XV. 13. Ebr. XI. 32. 33. 34. Conf. *Niceph. L. XII. c. 40. Joh. Sleid. L. V. Hist. sub init. p. 353. Danh. Deuter. p. 576. seq. & P. II. Lact. Catech. p. 8. seqq.* Proveniunt autem ejusmodi officia, ut & nonnulla ex antecedentibus, non tam ex titulo communis ac simplicis Amoris, qvo unumqvemqve proximum debemus

proſeqvi, qvam ex peculiari obligatione, pacto, aut ſimili ratione, Amori iſti ſuperveniente, eundemq; non paululum adaugente, prouti ſupra monuimus, ubi de propinqvitate tum prima, & omnibus hominibus communi, tum ſecunda, & ſpeciali, qvæ juxta triplicem ſtatum ſeu vitam, naturalem ſc. civilem, & ſpiritualem diſpeſcebatur, egimus, dicendo, qvod reſpectu duplicis hujus propinqvitatis, Amor in proximum, qvi vel primo-proximus, vel ſecundo-proximus eſt, tres agnoſcat gradus, videlicet Poſitivum, Comparativum & Superlativum: ita tamen, ut in hypotheſi probe ſint perpendendæ omnes circumſtantiæ, tum ex parte periclitantis, tum ex parte ejus, qvi ſemet in periculum conjiciat, & pro earundem diverſitate, ubi majores Amoris rationes inveniantur, diverſimode ſit pronunciandum. Qvocunq; autem Amoris gradu proximum legitime amemus, non magis tamen illum, qvam nosmet ipſos amamus, qvia dum ſtudio Charitatis, divinitus præſcriptæ, & amore Honeſtatis ducti, tam eximio officio Amicitiam colimo9, bona inter ſe comparamo9, & præſtantiora eligimus, ita ut, qvamvis v. g. vitam meam magis æſtimem, qvam alterius vitam per ſe, magis tamen æſtimem alterius vitam, & meam virtutem. Perſtat itaqve firmum adhuc atqve inconcuſſæ veritatis Dictum noſtrum, qvod proximum *ſicut nos ipſos* diligere debeamus.

§. X.

Ad ſpecialiora nobis nunc eſſet progrediendum, ita ut ordines bonorum, atqve malorum, circa qvæ Πλησιοφιλία occupatur, non minus adduceremus, qvam affectus & effectus, qvibus illa ſe ſe exerit. Aſt enimvero fuimus in Cap. II. ideo in iſtis rebus proponendis aliqvantum prolixiores, ut iterato labore hic ſuperſedere poſſemus, qvum qvivis, vel a nemine admonitus, ſtatim intelligat, omnes ac ſingulos homines obligatos eſſe, proximo ſuo omnia bona, ſtatui atqve conditioni ejus convenientia, æqve ac ſibi non ſolum optare, ſed &, neceſſitate exigente, & proximo efflagitante, pro virium modulo procurare. Ex qvo conficitur, qvod actus Amoris non debeat tantum eſſe externus, conſiſtens in externis benevolentiæ

signis, in qvibus Moralistæ Pontificii fere subsistunt, sed imprimis actus internus, qvem cum *B. VValthero Harm. Script. p. 1339.* cordialem Amorem vocare liceat, reqviratur. Rom. XXII. 9. 1. Cor. XIII. 1. 2. 3. Eph. IV. 15. 1. Petr. I. 22 IV. 8. Male itaq; *Tamburinus P. II. c. 1.* scribit: *Sicut certum est, nos obligari ad proximum diligendum, juxta illud: Amabis proximum tuum sicut te ipsum: Ita mihi certum videtur, non adesse obligationem eum diligendi per aliqvem actum internum, expresse tendentem in ipsum proximum, qvia satis superq; est, si ames Deum, Ejusq; voluntatem velis exeqvi, & sic jam involvitur Amor proximi, qvi est de Dei voluntate: qvare si te abstineas ab eliciendo actum odii contra ipsum proximum, & sierga eundem exeqvaris opera externa Benevolentiæ facto ipso, & sepe etiam interne, (qvum hæc opera subinde fieri neqveant sine aliqvo interno Benevolentiæ actu,) proximum sufficienter amabis.* Qvandocunqve enim actus Amoris tantum externus est, hypocriticus est, qvi Deo valde displicet. Ps. V. 7. 1. Joh. III. 18. Nihilominus tamen ille actus internus non otiosus esse debet, sed fructuosus, ut benevolum illum affectum, qvibus possumus modis, erga proximum declaremus. Gal. V. 13. Jac. II. 15. Hinc vox ἀγάπη non raro in Scriptura ipsum Amoris effectum connotat, ut 2. Cor. II, 8. VIII. 14. Gal. V. 13. 1. Joh. III. 1. Conf. *Flac. Clav. Script. sub V. Dilectio pag. 243.* Sic nemini nostrum ignotæ sunt ἀγάπαι Christianorum in primitiva Ecclesia, qvarum etiam S. Literæ, ut 1. Cor. XI. 21. 22. 2. Petr. II, 13. Ep. Judæ v. 12. faciunt mentionem, qvæq; originem trahentes ex V. T. (Lev. VI. 26. Deut. XII. 8.) publica erant convivia, partim communibus sumtibus, partim collationibus ditiorum in templis primitus, finita plerumq; S. Synaxi, qvæ itidem ἀγάπη dicebatur, adornata, ad sublevandam egenorum indigentiam, & mutuam animorum conjunctionem conservandam. Testantur id maxime ritus & ceremoniæ, qvibus peragi illa consveverunt, dum mutuis complexibus atqve osculis terminabantur, teste *Justino in Apol. 2.* qvi ait, *moris fuisse, ut Christiani sub finem publicæ liturgiæ se invicem osculentur, dicentes: Pax tibi Frater!* Qvin imo etiam eleemosynæ, post peracta sacra collectæ, & inter pauperes distributæ, ἀγάπαι vocaban-

vocabantur. Vid. *Car. du Fresne Gloſſar. Part. I. p. 105.* Qvi plura de Agapis cupit, adeat ex Veteribus *Chryſoſt. in 1. Cor. XI. Cyprian. Serm. de Eleemoſynis*, it. *Clem. Alexandr. Pædag. L. II. c. 1.* ubi aſſerit, in Agaparum, propter nimium abuſum e templis remotarum, locum morem fuiſſe introductum colligendi eleemoſynas, dum concio habetur, pro ſuſtentandis Clericis, atqve pauperibus. Ex Recentioribus legi poſſunt *Caſaub. Exercit. 16. ad Annal. Baron. p. 367. H. inſ. Exercit. S p. 628. Johan. Cunr. Dieter. Antiqvit. N. T. pag. 18. ſeq.* nec non *Balth Stolberg.* Profeſſ. qvondam in hac ipſa Acad celeberr. *Diſſertat. V. de Veterum Chriſtianorum Agapis.* Usqve adeo Amor non eſt affectus otioſus ac ſterilis, ſed inſtar arboris generoſæ in qvam plurimos flores ac fructus ſe induit, aut inſtar matris fæcundæ numeroſam officiorum ſobolem perpetuo progignit. Anabaptiſtæ bonorum communionem, in N. T. introducendam, incruſtare ſolent ex eo, qvod Chriſtiani debeant proximum diligere ſicut ſe ipſos. Aſt enimvero qvis non videt, illos committere fallaciam τῦ παρίσου, & a Dilectione indefinita vitioſiſſimam inſtituere ratiocinationem ad definitam bonorum communionem? tum qvia præceptum de proximi Dilectione Chriſtus deſumſit ex V. T. in qvo communio bonorum exulabat, & propriarum poſſeſſio vigebat, Prov. V. 15. tum qvia proximi Dilectio alia ratione exerceri poteſt, ut v. g. liberali erogatione de propriis facultatibus, exemplo Macedonum, Rom. XV. 26. Corinthiorum, 2. Cor. IX. 2. tum qvia non reqviritur, ut in unum aliqvem proximum omnes facultates tuas profundas, eumqve locupletem facias, ſed ſufficit, ita illius neceſſitati conſulere, ut & aliis, qvi ſimiliter egent (pauperes enim nobiſcum ſemper habemus Matt. XXV. 11.) a te conſuli poſſit. Vid. *Oſiand. Enchir. Controv. Anabaptiſt. C. VII. qv. 2. obj. 2. p. 157.* Tenetur autem ad ejusmodi officia & beneficia præſtanda omnis homo, qvi facultate juvandi eſt inſtructus; divites qvidem ex abundantia ſua, 2. Cor. VIII. 14. mediocres e labore manuum, Eph IV, 28. pauperes ipſi exemplo Chriſti, qvi, qvamvis ex aliorum liberalitate viveret, Luc. VIII. 3. tamen egenis dare conſvevit, Joh. XIII. 29. mulierculæ, Luc. XXI. 2. Eccleſiæ Macedo-

Macedonicæ, 2. Cor. VI. 2. Conf. Tob. IV. 7-12. Atqve ne hoc cuipiam παράδοξον videatur, ut is, qvi ipse ope opus habet, aliis officia Amoris præstet, illie meminerit, neminem facile tam egenum atqve pauperem esse, qvin juvare proximum possit officiositate & aliqva sui ope qvantulacunqve, & Christum non eos solos deprædicaturum, qui esurientes cibarunt, sed & illos, qvi visitarunt ægrotos, Matth. XXV. 35. seq. *Dicet aliqvis*, inqvit *Augusst. Serm. 127. de Temp. pauper sum, ideo eleemosynam dare non possum: ut nullus se pauper excusare posset, Dominus & Salvator pro calice aqvæ frigidæ mercedem se redditurum promisit.* Matth. X, 42. Ubi observandum, qvod ita sit amandus atqve juvandus proximus, non ut obtrudamus (etiam in reconciliatione cum illo) nostra beneficia proximo repellenti, sed ut non negemus in necessitatis casu submisse roganti, licet noster qvoqve sit inimicus & homo malitiosus Matth. V. 44. 45. *Si Deos imitaris*, ait *Seneca*, *da etiam ingratis: nam & sceleratis Sol oritur, & piratis maria patent. L. IV. de Benef c. 25.* Οὐ τῷ ἀνθρώπῳ, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπότῃ. In dubiis certe uti tutius est, decem nocentes absolvere, qvam unum innocentem damnare: ita tutius qvoqve, decem malitiosos juvare, qvam unum pium atqve dignum præterire. Gradus tamen atqve ordo Beneficentiæ adhibendus est, ideo, quod per modum voti omnibus optare debeamus bona tum spiritualia, tum corporalia, quamvis per modum officii non possimus omnibus præstare, quod vovemus. Conf. Gal. VI. 10. 1. Tim. V. 8. 2. Pet. I. 7. Quocirca B. *Augusst. L. I. doctr. Christ. c. 28. Omnes homines æqve diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, ei potissimum consulendum, qvi pro locorum & temporum, vel qvarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi qvasi qvadam sorte jungitur.* Sic qvando simul omnes levare non valemus, primum uxori & liberis succurrendum, hinc cognatis & amicis, tandem aliis, atqve inter hos civi, præ peregrino, religionis nostræ consorti, præ homine discrepantium sacrorum, diu conflictato, præ illo, qui dum vix affligi cœpit, nisi gradus miseriarum aliud svaserint. Conf. *Luth. T. VI. VVitteberg. p. 586. & Danh. P. II. Lact. Catech. pag. 170.*

Qvem-

Qvemadmodum igitur affectibus & effectibus ἑαυτοφιλίας præerat Prudentia; ita præter Prudentiam affectibus & effectibus πλησιοφιλίας moderandis præficiamus *Justitiam, qvæ est Virtus præstandi, qvod homini alii debetur*, commodeqve dispescitur ratione objecti personalis in *universalem*, qvæ ad homines promiscue omnes se extendit, & *particularem*, qvæ erga certos qvosdam homines sese exerit.

§. XI.

Justitiæ universalis species sunt: *Innocentia*, *Veracitas*, *Humanitas & Justitia commutativa*. *Innocentia* potest definiri, qvod *sit Virtus, providens, ne qvis præter meritum lædatur*: qvæ læsio sit, cum qvis alteri, vel directe vel indirecte, vel vi vel clam, vel per se vel per alium, molestiam præter jus infert. Itaqve πλησιόφιλος neminem in sui juris exercitio turbat: potestatem in personas & res aliorum, ultra finem, propter qvem concessa est, sibi non arrogat; qvæ nullius sunt, ut occupantis fiant, permittit: communibus rebus, qvousq; tales manent, alios secum æqvo jure frui patitur: nemini denegat, qvod habere debet, vel malum sine causa sufficienti irrogat: obligationem erga alium explet: nullum ad nocendum impellit, sed potius alios ab injuria inferenda cohibet: qvod si vero ipse a qvopiam præter meritum graviter lædatur, Magistratus opem contra adversarii violentiam & injuriam implorat, nec non damni, sibi injuste illati, compensationem, secluſa vindicta privata, per Magistratum legitime qværit. Conf. Ps. XV. 3. XXVI. 6. Luc. XVII. 1. 2. 3. XVIII. 3. Rom. XII. 19. Innocentiam excipit *Veracitas, qvæ est Justitia, faciens, ut animi nostri cogitata per signa idonea alteri, jure cognoscendi eadem pollenti, manifestentur*: qvod ipsum jus uti ex triplici fonte derivatur, videlicet ex præcepto Superioris, ex promisso, aut ex ipsa præsentis negotii materia: sic vicissim ejusmodi juris exercitium, tum propter consensum ejus, cum qvo agimus, tum propter oppositionem juris valentioris, qvandoq; suspenditur. Itaqve πλησιόφιλος jure cognoscendi animum suum pollenti, signis eundem perspicuis, præsertim sermone, & qvæ sermonis vicem obtinet, scriptura manifestat: verba in

recepta, & ad præsens negotium accommodata singnificatione adhibet: à simulatione & dissimulatione, reservationibus mentalibus, & cavillationibus qvibuscunq;, si in fraudem alterius vergant, abstinet. Jos. VII. 20. 21. Prov. XII. 17. Coh. V. II. 10. Zach. VIII. 16. Joh. I. 29-23. II. 47. Eph. IV. 25. Ac qvoniam eum in finem, ut alter de cogitatis animi nostri tanto certior reddatur, juramentum ut signum adhiberi, vel etiam signis aliis firmamenti loco adjici solet; hinc πλησιόφιλος temere non jurat, si vero juramentum necessitas efflagitat, normam verborum non suam tantum mentem, sed vel maxime etiam alterius, cui juramentum præstat, constituit: juramentum promissorium non nisi de re possibili & licita, assertorium vero non nisi de re vera & certo cognita profert: &c. Conf. Num. XXX. 3. Deut. VI. 13. 2. Par. VI. 11. Ps. XV. 2. Ebr. VI. 16. Sir. XXIII. 9-17. Veracitati succedit *Humanitas, qvæ est Justitia, in illis se exerens, qvæ accipienti proficua, exhibenti vero non damnosa sunt.* Itaqve πλησιόφιλος omnibus, etiam ignotis, imo indignis bene cupit: accedentes, nisi negotia vetent, haud gravatim admittit: ne sua conversatio cum aliis tam in sermonibus, qvam moribus & actionibus molestiam creet ac tædium, sed omnibus grata & desiderata sit, sedulo dat operam, adhibito tamen personarum discrimine, ita ut erga superiores submissus, modestus, ac officiosus, erga pares familiaris, erga inferiores qvandoq; gravis, qvandoq; popularis, erga notos liberior, erga ignotos circumspectior sit: ex bonis alienis argumentum complacentiæ capit, ex malis condolentiæ: qvæ sine detrimento suo aliis etiam sufficiunt, nemini invidet, sed potius proximi sui bona, tum animi, tum corporis, tum fortunæ, diligenter observat, promovet atqve defendit. Conf. Gen. XVIII. XIX. XXIV. Luc. I. 58. Rom. XII. 15. Col. IV. 6. Sir. XXX. 18. Superest *Justitia commutativa, qvæ in contractibus suam cuiqve tribuit.* Est autem contractus pactum de iis, qvæ in commercium veniunt, qvæ acqviri, alienariq; & in obligationem deduci qveunt, cujusmodi sunt res & actiones, nisi earum communio, aut inutilitas, aut etiam Lex obstent. Contractuum divisiones in unilateres, bilateres & mediæ naturæ, in reales, consensuales & literales, in nomi-

nominatos & innominatos, in beneficos & oneroſos, in ſimplices & mixtos, videſis prolixius deductas apud *Pufend. L. V. de J. N. & G. c. 2. p. 690-784.* Itaqve πλησιόφιλος contractus ſine vi & fraude init: qvod ſemel placuit, ſervat: pretium rebus & operis commenſurat: majorem æqvitatis, qvam ſtricti juris rationem habet: turpe lucrum non deſiderat: negotium ſuſceptum gnaviter expedit: depoſitum ſolicite cuſtodit, & prouti par eſt, reſtituit: re commodata non aliter, qvam commodans permittit, utitur: defectum rei, ad alium transferendæ, indicat: qvod contractui ſubjicit, nimium non exaggerat: id, de qvo conventum eſt, ſtatuto tempore alteri fideliter præſtat: conditionem, contractui adjectam, niſi qvid abſurdi contineat, exacte ſervat &c. Geneſ. XXIII. 16. Lev. XIX. 11. 36. Prov. XI. 1. Theſſal. IV. 6. Sirach. XXVII. 1-4. XLII. 3. 4. 5. Pergimus ad Juſtitiam particularem, cujus ſpecies ſunt Ευχαριστία, *Miſericordia, & Juſtitia ſocialis.* Ευχαριστία ſeu, ut vulgo loqvimur, *Gratitudo eſt Juſtitia in beneficiis, qvantum poteſt ſievi, rependendis occupata.* A beneficiis denominantur Benefactores, qvos inter eminent Patria, Parentes, Præceptores & Doctores qvicunqve: it. Magiſtratus, Tutores, Patroni &c. præſertim ſi nominis, officiiqve ſui menſuram adimpleant. Itaqve πλησιόφιλος beneficium hilariter accipit, illudqve ſuo tempore, &, ſi poteſt, cumulatius reddit: cum facto neqvit, animo gratum ſe exhibet, memoriamqve beneficii nunqvam deponit: qvæ Benefactori diſplicere novit, omittit, & grati animi declarationem voluntati ac ſtatui ipſius accommodat: dantis affectum magis, qvam effectum attendit: qvo m jus beneficium eſt, eo ſe magis obligatum agnoſcit, mentemqve, beneficiorum memorem, etiam propinqvis, & Amicis Benefactoris occaſione oblata oſtendit: &c. Gen. XLVI. 29. Ex. XVIII. 7. 1. Sam. XIX. 33-38. 1. Reg. II. 19. Col. III. 20. Eph. III. 8. VI. 1. Sir. III. 1-18. Seqvitur *Miſericordia, qvæ eſt Juſtitia proximi miſeriæ compatiendi, eidemq; nonnunqvam cum damno aliqvo noſtro ſubveniendi.* Eccleſiæ Venerandi Patres duo conſtituere amant operum Mi-

sericordiæ genera, qvorum alia sint corporalia, alia spiritualia. Vid. *Isid. L. III. c. 64.* Priora seu corporalia numerant septem, ut: esurientes pascere, potum præbere sitientibus, operire nudos, captivos redimere, ægrotos invisere, hospitio peregrinos excipere, mortuos sepelire, unde Versus: *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.* Conf. Matth. XXV. 35. 36. 2. Sam. II. 5. Tob. I. 10. V. 9. Posteriora sive spiritualia sunt: ignorantes docere, Gal. VI. 1. dubitantibus recte consulere, Job. XIX. 15. peccantes corrigere, Prov. XXIII. 13. 14. consolari mœstos, 1. Thess. VI. 14. offensam remittere, Matth. XVIII. 21. 22. ferre patienter injurias, Col. III. 13. pro salute proximi Deum orare, 1. Tim. II. 1. unde versus: *Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.* Neqve tamen idcirco hæc opera Misericordiæ, sive corporalia, sive spiritualia, septenario numero includuntur, qvod plura non sint, sed qvod ad hæc commode omnia alia referriqveant, qvorum plurima recenset *Lactant. in Epit. Divin. Instit. cap. 5.* nec non *August. in Enchirid. c. 72.* Restat *Justitia socialis, qvæ inter Imperantes, & subditos in eadem societate se exerit.* Ubi notandum, qvod hic non illud discrimen Imperantium & subditorum attendatur, qvod tantum in Civitate, & Ordinibus, Civitatem ingredientibus, verum etiam qvod in familiis, imo & in societatibus, ex qvibus familia constat, nuptiali scilicet, paterna & herili, occurrat, ita tamen, ut a parte Imperantium potentia præcipiendi, a parte vero subditorum obligatio ad parendum nunc laxior sit, nunc strictior. Itaqve πλουσιόφιλος, si est Imperans, Justitiam Gubernativam, inter cujus species peculiari nomine gaudent Justitia Distributiva & Vindicativa, accurate observat, qvarum illa circa commoda & onera, ex pacto societatis cuiqve tribuenda, hæc circa pœnas, delinqventi qvo qvalitate delicti irrogandas, versatur; si est subditus, debitam obedientiam præstat, dum voluntati ac legibus Imperantis obtemperat, oneraqve imposita, & pœnam meritam patienter sustinet: &c. Deut. I. 16. XVI. 18. 2. Sam. VIII. 15. Job. XXIX. 4. Psal. LXXVIII. 72. CI. 2-8. Rom. XII. 8. XIII. 1-7. Scholastici, non contenti ad *Thomæ II. 2. & in Theolog. Casuum* de his Justitiæ speciebus copiose

pioſe commentari, pectiſiaria inſuper volumina *de Iuſtitia & Iure* conſcripſerunt, inter qvæ nobis nota ſunt *Dominici a Soto Banneſii, Molinæ & Leſſii.*

§. XII.

Oppoſitum Amoris proximi eſt illius odium, non qvidem licitum ſeu odium abominationis in proximum qva peccatorem, utpote qvod cum Amore proximi, qvatenus eſt homo, propter Deum diligendus, non pugnat, ſed illicitum ſeu odium inimicitiæ, qvod iterum eſt vel directum & magis craſſum, vel indirectum & magis ſubtile. Ad poſterius refertur philautia, ſtricte ſic dicta: 2. Tim. III. 2. qvando qvis ſeipſum ita diligit, ut proximum prorſus negligat, ſua ſaltem commoda, ſuumqve honorem cum proximi damno, & contemtu qværens: nec non dilectio hypocritica, 1. Joh. III. 18. qva peccamus, qvoties ſigna externa contraria ſunt internis, & qvidem maximè vel loqvendo, vel tacendo, vel ſcandalizando 2. Sam. XX. 9. 10. Pſal. LVIII. 2. Prov. I. 10-19. VII. 13-23. Apoc. XVII. 1-5. Spectat huc qvoqve temerarium & è mala ſuſpicione prognatum judicium, cujus vitii (qvamvis plures recenſeantur à *Leſſio L. II. de J. & J. c. 29. d. 2.*) tres gradus ſunt: *Dubium*, cum in neutram partem inclinat homo, ſed judicium ſuſpendit: *Suſpicio*, cum is, qvi prius dubitavit, perſvaſus aliqva vel autoritate humana, vel conjectura probabili ac ſigno aliqvo, uni parti, non tamen ſine formidine oppoſiti, aſſentitur: *Judicium temerarium*, cum qvis ad triſtem partem ſtrenuus, ut loqvitur Poeta, inclinat in unam partem, ut eam determinate judicet veram eſſe. Dubium non ſemper peccatum eſt, ſed dum demum, cum rationes dubitandi leves ſunt: Suſcipio ſimiliter ſemper mala non eſt, ſed tum demum, cum deſunt rationes probabiles & juſtæ: Judicium itidem non ſemper temerarium eſt, qvia ſi qvis ſuſpectum juvenem cum ſuſpecta fœmina deprehendat in loco infami, aut ſi geſtus vel tactus videat indecoros atqve impudicos, non temere judicat, cui res iſta ſuſpecta videtur. Aſt ſi judicium deſtituitur probabilibus & juſtis rationibus, tunc omnino vitii notam incurrit. Conf. Gen. XX. 11. Ex. 10. 1. I. Sam. I. 14. XXII. & 2. Sam. X. 3.

2.Reg. V. 6. Prius vero odium, videlicet crassum, exterioribus se prodit signis, animi malevoli indicibus, ut lingva amara, rixosa, maledica: 2. Sam.XVI. 7. 8. Matth V. 32. Rom. I. 29. gestu irato, qvod Christo est Raca dicere: Matth. V. 32. confer. Gen. IV. 5. qvo pertinent ψιθυρισμοὶ, ζῆλοι, ἐριθεῖαι, καταλαλιαὶ, Φυσιώσεις, 2. Cor. XII. 20. γογγυσμοὶ, Phil. II. 14. μικτυρισμοὶ Luc. XVI. 14. & ἀσχημονεῖν: 1. Cor. XIII. 5. ipso deniqve opere & maxime violentia manuum illatione, qvæ vel sine mortis periculo plagis, verberibus & vulneribus contenta, Ex. II. 11. Lev. XXI. 18. vel cum morte conjuncta, tum jubendo, 2. Sam. XII. 9. tum prodendo, 1. Sam. XXII. 9 10. 18. tum immediate procurando. Gen. IV. 8. Ex. XXI. 12. 18. Utrumqve odium vel est gratuitum, & fertur in eum, qvi nulla nos lacessivit injuria, vel non-gratuitum seu ab irritante provocatum, & ad ejusmodi odium impellit injustitia, qvæ Justitiæ, ejusqve speciebus adversatur, & tum affectu, tum effectu sese exerit. Justitiæ opponitur generatim injustitia cum eorum, qvi non præstant, qvod aliis debetur, tum eorum, qvi alios, debitum non præstantes, pro ratione Vocationis suæ non impediunt. Speciatim Innocentiæ opponitur studium nocendi, & præcipue injuria actualis, cum videlicet denegatur alicui, qvod habere debet, vel aufertur, qvod jam habet, aut malum aliud sine causa sufficienti irrogatur. Veracitati opponitur mendacium, proprie sic dictum, cum videlicet contrarium ejus, qvod animo volvimus, coram altero, cui jus cognoscendi cogitata nostra competit, signis externis, præsertim sermone indicatur. Justitiæ commutativæ opponitur injustitia commutativa: qvo spectant mandati neglectio, depositi negatio, commodati corruptio, variæ permutantium, ementium, vendentium, locantium, conducentium fraudes & impostura, solutionis recusatio, aut malitiosa procrastinatio, usura mordens, nummi adulteratio, frumenti, aliarumqve rerum necessariarum flagellatio. &c. Humanitati opponitur qva excessum adulatio ejus, qvi nimis observans aliorum est, neminiqve in ulla re contrariatur, sed se ad omnium nutum componit: qva defectum inhumanitas; qvo refertur austeritas, qvalis olim in Timone,

vid.

vid *Sabell. L. II. c. 2.* It. invidia seu dolor ex contemplatione prosperitatis aliorum, præsertim si nobis sint æqvales: It. crudelitas in victos, cujus exempla extant in Adonibesek, Jud. I. 6. 7 & è profana historia in Hispanis, novi orbis debellatoribus, de qvibo vid. *Bentz. L III. de novo orbe p. 295. sqq.* it. sævitia in mortuos, à qva pessime apud omnes audivit Cambyses, qvi Amasis, Regis Ægypti jam defuncti cadaver effodi, flagris cædi, vellicari, stimulis pungi, & omni contumeliarum genere vexari jussit, ut auctor est *Herodotus L. III.* In mortuos enim sævire, eorumq; cineribus insultare, aut famæ detrahere, belluini atqve caini animi esse, etiam Sapientes è Gentilibus judicarunt. Conf. *Casp. Sanctius ad Amos c. 2. p. 562.* Εὐχαριστία seu Gratitudini opponitur ἀχαριστία seu ingratitudo, eaq; vel simplex, ut beneficium acceptum dissimulare, aperte negare, ejus oblivisci, vel mixta, ut malum pro bono rependere. Prov. XVII. 13. Sir. XII. 3. Misericordiæ opponitur immisericordia, cujus summus gradus est ἐπιχαιρεκακία, qvando quis læto, gratulabundoq; oculo & ore sarcastico proximi malũ seu culpæ, seu pœnæ impetit. 2. Sam. XVI. 7. 8. Ps. XXXV. 15-26. CXXXVII. 3-7. Jon. IV. 1. Mich. VII. Matt. XX. 42-48. Luc. X. 31. 32. Justitiæ sociali opponitur injustitia socialis, qva Imperans per multiplicem potestatis abusum se contaminat; qvo spectant lenitudo potestatis, & præposteræ clementiæ: it. tyrannis sive titulo, sive exercitio, cujus notæ sunt illustrium virorum excisio, violatio justitiæ, libertatis ereptio, gravissimorum onerum impositio: conf. 1. Reg. XII. 14. sqq. à subditorum parte autem, infelicitas & inobedientia, qvæ nonnunqvam in factiones, seditiones, tumultus, randemq; in Anarchiam & Status desolationem erumpunt: &c. Plura qvidem, qvod non diffitemur, possent in medium afferri: ast ne nauseam atq; tædium nimia prolixitate moveamus, pedem hic figimus, præsentiq; nostro labori finem imponimus, ab Humanitate Tua, L. B. ea, qva decet, modestia rogantes, ut hæc levia in optimam partem interprætari velis. Sanctissimo interim Numini, cui omnia studia, consiliaqve nostra precibus ardentissimis committimus, pro ope, clementer nobis præstita, Laus sit & Gloria hic, & illic, ubi nullus erit

FINIS.

*Clarissimo Viro,*

# Dn. M. DANIEL. SCHREITERO,

Wurcensi Miss. SS. Theol. Cult. Amico suo,

S. P. D.

# PRÆSES.

QVando aliis gratulandum est, non raro accidere solet, ut non absq; labore & artificio conqvirenda gratulationis argumenta sint. Secus omnia se apud Te habens, Amice dilectissime. Hic enim non consarcinanda, sed ex ingenti rerum cumulo seligenda tantum ea sunt, qvæ gratulandi materiam suppeditant. Omnia namq; & in te, & circa te, laude sunt digna. Ortus es iis Parentibus, Avis & Atavis, qvorum elogia majora sunt, qvam ut calamo hoc illustriora reddi possint. Cui enim SCHREITERORUM nomen, nobilissimum sane, cognitum non est? Et qvis ignorat merita in Ecclesiam & Rempublicam ab hoc sangvine orta? Sed Tu temet ipsum propriis commendas Virtutibus. Crepent alii pietatem fucatam; Tu sinceram & antiqvam colis, aliisq; ore & opere svadere satagis. Videantur alii modesti, industrii, eruditi, humilitatis, concordiæ, amicitiæ & observantiæ studiosi; Tu non videris tantum, sed re ipsa singulas easdem Virtutes ita præstas, qvasi omnem omnino operam uni duntaxat in solidum consecrasses. Nemo, qvi te novit, amare te non potest. Nemo, qvi Virtutes, qvibus maxime conspicuus es, cognitas habet, te non potest admirari & colere. Poterit vita & industria tua aliis esse exemplo, qvod intueantur & seqvantur. Ac sicut ex ungve Leonem cognoscimus; ita ex Disputatione tua, qvam & utilissimam, & eruditissimam, & rarissimam proprio Marte elaborasti, & ex Cathedra Lutheri mascule defendisti, apparet, vera esse ea, qvæ breviter de Te commentatus sum. ô felices Parentes filio hoc! ô felices Patronos, cliente tam egregio! ô felicissimum officium, qvo olim per Numinis Divini Gratiam fungeris. Te moderatore & actore! Omnes si Tui similes haberemus, qvam beati essemus. Servet Te Deus, & omni felicitate large beet! Non leget, credo, Parens tuus, Vir maxime Venerandus, aut Disputationem tuam, aut has lineolus, absq; lacrymis & gaudio. Servet & Eum Deus, & in omnigena beatitudine perennare faciat! Scrib. Wittenberg. Mense Julio, A. E. C. M. DC. XCIII.

)o(

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Loescher, Caspar

Amorem sui ipsius, velut exemplar amoris proximi, ex Matth. XXII, 39

Witteberga 1704
4 Diss. 283#Beibd.25
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10646836-6
VD18 15010074-001